



22.07.



LATINÆ POESEOS

Opusculum Primum,

AUTHORE

CÆSARE FANELLI

EX FLORENO.



BRACHYMACROLOGIA
SEU
LATINÆ POESEOS
Opusculum Primum
DE IIS,
Quæ pertinent ad discendum, & docendum cum facilitate, & felicitate Metrum
In quocumque Genere, & in quacumque Specie,

AUTHORE
CÆSARE FANELLI
Laureato Archipoëta ex Floreno, & Academico Peregrino in Romana Peregrinorum Academia, ubi Pausilypi Apollodorus antonomasticè appellatur,

DIVO
MICHAELI ARCHANGELO
Cœlestium Militiarum Principi
DICATUM.



NEAPOLI MDCCXIV.
Ex Superiorum permissu.

[illegible]

DIVO
MICHAELI
ARCHANGELO

Supremo Empyrei Duci, Cœlestium Militiarum Principi, & præsentissimo Musarum Patrono.

CÆSAR FANELLI



Uò Benevolentiam meam peculiarem ergà Te, & Gratiam Tuam specialem ergà me aliqua ex parte

 Mor-

Mortalibus ostendam, o Cęlestium Militiarum Supreme Dux, ac Princeps, Archangele Michaël; *Tibi uni Opusculum primum de Arte Poêtica Domino, Dedico, ac humiliter Dico; Accipias, deprecor quidquid in eo meæ parvæ complexæ sunt Elucubrationes, nec obstupescas si Terrarum Mæcenatibus, & Populorum Magnatibus Opus hoc non obtulerim, namque hisce nostris Temporibus tanta est Inscitia Mentis,*

tan-

tanta Cupiditas Auri, & Iniquitas Cordis in Humana Progenie, ut Vestimenta Virtutibus præferant, & speciosa Numismata Nominis Immortalitati anteponant; contemnunt proinde quod plausu excipi debet, & gravi persequuntur Odio quod Affectionem Amoris expectat; Æquo Animo dignare quod Offero, & pro præmio laborum ea Menti posthàc inspira, quæ Apollinarem Lauream Crinibus laudabili-

ter promereant, & me ama, ficuti ex primo Ætatis curriculo Te femper excolui, Te femper in Oculis tuli, atque in Operibus meis pro meo Tutelari fingulariter habui, & in pofterum fpecialiffimo Pietatis fervore fingulariffimè habebo: Si contra me, meafque Mufas Momi, Zoili, atq; Ariftarchi veneno armati, toxicoque muniti fortafsè infurgant, Gladium habes, quo deftruas, diffipes, perimas. Occidifti

In-

Inferorum superbientem Pythonem, & pestiferum Erebi Anguem, eumque per totam sæculorum Orbitam desolatoriis Gehennæ Carbonibus dedisti ad comburendum; Non minor Triumphus accedet, si serpentinam Hominum Progeniem, & Viperinam Mortalium Cohortem ea morte plectas, quam merent; Interim summo Obsequio, summaque Reverentia Te deveneror, & rogo, atque exoro, ut nec præsidium

Poë-

Poësi, nec Patrocinium Poëtæ deneges, Quoniam ex fulgescentibus Dignitatis Tuæ Splendoribus primò eruditæ Intelligentiæ Auroram; secundò coruscantis Gloriæ Meridiem; tertiò Corporis Occasum non sine speciosa Nominis Immortalitate firmiter, certè, ac fiducialiter spero. Archangelus es, Archipoëtam defendas, nè pereat in eo Judicio, ubi Deus vel Justitias severissimè judicabit; Vive denique, & Vale.

Author ad Lectorem sui Operis.

NEapolis omni tempore ita bonis literis floruit, Amicissime Lector, ut Insignium Artium Musæum, illustrium Scientiarum Domicilium, & nobilium Facultatum Emporium non minùs Domesticis, quàm Exteris visa sit; Adolescentia tamen lumine indiget, ut eò tendat, ubi Gloria habitat, & Sapientia Gloriæ Genitrix immoratur; proinde duo Opuscula de Poësi elaboravi, ut inde Adolescentes cum Lumine Calcar accipiant ad futuram Speciosi Nominis Immortalitatem, ac Decus; Non pro Senibus, pro Imberbibus scripsi; Non pro Eruditis, pro Tyronibus construxi; Non pro Sapientibus, pro Insciis prælo commisi quod spectas; Quoniam Imberbis, & non barbatus Apollo est

Mu-

Musarum Lumen, ac Numen; Non Senex, sed Puer est Amor Musicæ Præceptor, & Poëticæ Artis Magister; Non Vir, sed Adolescens est Hermes, qui ad Eloquentiam simul, & Poëticam Professionem inclinat; Pacato, humanoque igitur animo legas Opus, quod tibi legendum expono, nec dente dilaceres quidquid in hisce Chartis inspicies: Virum Te volo, non Aprum; Hominem Te exposco, non Columbrum; Vive igitur, & secundum Opusculum, Deo auspice, expecta longè quidem nobilius, longè quidem præstantius propter speciosas metrorum Imagines ex variis Authoribus excerptas ad concipiendas Idæas eorum præceptorum, quæ tradimus.

Au-

Authoris Protestatio.

NIhil est equidem in hoc meo Opusculo, quatenùs arbitror, quod aut Regiæ Jurisditioni temerè adversetur, aut Ecclesiasticæ potestati perfidè contrarietur; Quoniam Utramque ita semper deveneratus sum, & deveneror, ut ad amussim exequi videar celebre illud nostri Redēptoris Affatum. *Quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; Siquid tamen casu, præter Intentionem ex calamo effluxit, quod & corrigi mereat, & emendari exposcat, Dictum pro non Dicto, & Scriptum pro non Scripto tenaciter volo. vel emendet Flamma, vel corrigat Spongia quidquid aut Deum fortassè dedecet, aut Regi fortassè præjudicat; hoc noscas, & Vale.

Au-

Author de se ipso

CARMEN.

Mantua Virgilio, felix Verona Catullo,
Nasoni cunas inclyta Sulmo dedit,
Sed mihi Florentia Patremque, Domumque, Genusque
Præstitit; haud tantis Vatibus invideo:
Patria florescit ceu Nomine, floret in Aruis,
Indicium Musæ floridioris habet:
Ingenium vivax ad vivida carmina pronum
Natura in fibris indidit alta meis:
Quot versus poscis, totidem tibi reddit Apollo;
Neve mihi sterilis vena, nec illa rudis;
Undique Parthenope speciosa Epigrammata plaudit,
In mediis passim facta, redicta viis:
Plurima legisset memori dignissima lauro,
Si Sors, quas rapuit, blanda dedisset Opes;
Divitiæ Musas augent, & commoda, & aurum;
Negligitur Virtus, cùm malè culta jacet:
Pauperies quandoque juvat pro carminis Oestro,
Quandoque ingenio Vimque, Decusque rapit:
Ex teneris annis hausi præcepta legendi
In Patria; vultus lacte madebat adhùc;
Posteà me Genitor duxit Sirenis in urbem,
Hìc Ego Grammaticæ prima Elementa bibi:
Loyolæ veneranda cohors me jura metrorum
Edocuit; paruum Cura peregit opus:
Naturæ causas, primævaque semina rerum,
Astrorumque Ortus, Interitusque leves,
Cæsareas Leges, Canones, Cælumque, Deumque
Noscere tentavi tempus in omne vigil:
Fædera Amicitiæ sprevi pro Palladis Arte,

Com-

Compressere Animos Otia nulla meos:
Otia cum Sociis enervant Mentis Acumen,
Moribus exitium, Perniciemque ferunt:
Antiquos Vates legi, legique Recentes,
Gliscerez ut studiis culta Minerva suis:
Prototypa inspiciat laudanda Poësis, oportet,
Ex illis lumen, Consiliumque fluit:
Alterius formas imitatur Pictor; Ideas
Alterius spectat quique Poëta bonus;
Sol erat in Cancri Signo sub parte suprema,
Cùm cœpit Vitæ munere Vita frui;
Pulchra Dies Veneris vidit me Matris ab alvo
Enasci, primum cùm daret Alba jubar:
Juppiter hinc stabat, mæstus Saturnus & illinc;
Valdè juvant Musis talia signa meis:
Alter dat stimulos hilares ad Carmina, & alter
Segregat è populo, tristitiamque parit:
Contribuit Defunctus Avus mihi Nomen; ab illo
Augusto Cæsar Nomine dicor Ego:
Carminus est dictus Genitor, mea Carmina tali
Nomine prædixit forsan, & Ingenium:
Sed Genitrix Dorothèa Deas, Phœbique Sorores
Præsensit, Genio Numina grata meo:
Tres habui fratres conjunctos Sanguine utrinque,
Parca unum necuit, Spemque, Decusque Domus:
Ter ternas Natas genuit charissima Mater,
Vix ortæ Fati præda fuere sui:
Bis jacui in lecto infirmus; bis proxima tergo
Mors visa est; Superis bis mea vota dedi:
Gustavi lymphas per tempora longa. Lyæus
Neve Gulæ vino pocula plena dabat;
Hippocrates jussit, biberem quò munera Bacchi,
In toto è studiis corpore Pallor erat:
Bis jam quina fluunt mihi lustra fugacia ab ortu,

O to-

O totidam tribuant, Fata benigna precor:
Omnia temporibus super addita tempora limant;
Omnia nobilitat Cura, comesque Labor;
Stramina fecerunt primo sub tempore Romam,
Nunc Mundi Stupor est, Orbis & illa caput:
Sublimis Platanus, Quercus, Cupressus, & Ornus,
Exiguum exiguo Corpore Gramen erant:
Sunt qui Thesauros cumulant, titulosque requirunt,
Atque augent parta Nobilitate Genus;
Sunt qui conantur tolli super æthera fastu,
Sive illud poscat Fas sibi, sive Nefas;
Committunt Alii per Cærula Carbasa Ventis,
Proque Opibus Velis extera Regna petunt;
Opponunt Alii rigido sua Corpora ferro,
Ut rigidæ vitent Vulnera dura Famis;
Romanas Aulas Alii quæruntque, coluntque,
Ut decoret tandem Mitra decora caput,
Ipse Ego contentus parvo traducere Vitam,
Delicias reputo Carmina sola meas;
Extra Virtutem sunt Omnia Mæror, & Angor,
Aspectu quamvis sint pretiosa suo;
Dat quæcumque Homini felix Fortuna, peribunt;
Gloria post Cineres una superstes erit:
Regna, Urbes, Populi, tacitè labentibus Annis,
Præscriptum certo in tempore funus habent:
Pulvis, & umbra tegit sublimi fronte Colossos,
Atria seu Martis, Templaque sive Jovis:
Amphitheatra, priùs Miracula maxima Rerum,
Anguibus, & Colubris non nisi Nidus erunt;
Temporis ad fluxum Sapientia provida mentis
Pubescit, semper pulchrior ore nitet;
Ut sese renovat melior post funera Phœnix,
Sic Virtus melior post sua Fata viget:
Una mori nescit, moriantur cætera quamvis;

Cæ-

Cætera prætereunt, attamen una manet;
Felix qui studiis format Mentemque, Animumqu[e] is
Nam cultum Vitæ Simplicioris habet;
Associat Superis Pallas, redditque beatos
Quotquot Consilii dulce sequuntur iter;
Pindarus, Anacreon, Alcæus, & Orpheus Umbra est,
Naso levis pulvis, Virgiliusque Cinis;
Sed vivit Nomen quà Sol enascitur, & quà
Post Ortum extincta luce peremptus obit:
Seu Cràs, sive Hodiè moriar miser, Urnaque claudet;
Omnia quod vivat Secula, Nomen erit.
Conspicuos Equites colui, magnosque Dynastas,
Quod mihi prodesset, nil tamen inde venit:
Mæcenas obiit, nec nostro hoc tempore Cæsar
Ullus adest, Musas qui super Astra vehat:
Auriferæ Chlamydes plusquàm bona Carmina amantur:
Virtutes Auro postposuisse juvat:
Omnia contemno, satis est mihi sola Poësis,
Hæc Nos vel Reges, vel facit esse Deos,

CEN-

CENSORIS LAUS
Metra Endecasyllaba.

Inter Carmina nostra sanctiora,
Quæ leges redolent Pudoris, atque
Infamis Veneris fugant Amores,
Censor noluit esse quæ Catullus
Lascivis numeris, metrisque fœdis
Forsan scripserat, ut reor; proinde
Factum nobile censeo, putoque
Dignum conspicuis quidem triumphis,
Dignum plausibus, atque laude, fulget
Quà pulchris radiis, nitetque Phœbus,
Quà mersus tenebris jacet sepultus.
Quotquot Carmina condidit Vetustas,
Quotquot Carmina nostra format Ætas,
Committi facibus, merentque flammis,
Cùm sunt dissona sensibus pudicis,
Cùm castis Animis nocent, & aures
Lædunt Xenocratis, Deique Cultum;
Nam sensim pariunt, foventque pravas
Cordi delicias, necantque Honestum,
Virtutem perimunt, latente Viru,
Mores inficiunt, proculque tollunt
Quidquid Relligio, Fides, Decorque
Nostris addiderat fibris, & Orco
Damnant quot lepidas legunt Camœnas;
Sit quamvis tenuis favilla, sæpe
Ignes Immodicos parit, domumque
Perdit cum Domino, diùque gazas
Servatas scriniis; Cinisque fiunt
Gemmæ, Divitiæ, Trabes, Supellex,

Et

Et quidquid ſibi Faſtus optat, ambit,
Et Curis parat, & Labore quærit;
Addiſcat ſine labe ſemper eſſe
Carmen, quod docet, & notat Poëſis
Semper Virgineis amica Muſis;
O quantum mihi diſplicet Cupido!
O quantum Venus, & Pater Lyæus,
Cùm verſus lego, ſcribo, pango, & illos
Chartis inſero, paginiſque trado,
Ut vivant, nimiùm dolente Fato,
Poſtquam me Lacheſis recludet Urna,
Et vitam rapiet maligna Clotho!
Plures tartareo cremantur Igne
Æternùm Miſeri dolent ſub Orco,
Atque inter Stygios queruntur Angues,
Qui laudes capiunt, habentque plauſus
Per totos Populos, canente Fama
Felix Ingenium, ſublime Carmen,
Muſas laurigeras, Saleſque cultos,
Quid prodeſt tamen hoc Reis Gehennæ,
De Cœlo Exulibus per omne luſtrum,
Infeſtiſque Deo, Deique Juri
Dum ſtabit Deus, & manebit Æther?
Non Laſcivia, ſed Pudica Honeſtas
Felices facit, & bonos Poëtas.

ER-

ERRATA CORRIGE.

Primo Impetu facilè erramus, advertentia deinde corrigit errores, qui incautè irrepſerunt: Reflexio eſt veluti Urſa, quæ Arte, & ingenio reformat quidquid informe tuetur, & conſpicit: pauca evenerunt in hoc Opere, partim ex Incuria Typographi, partim ex Inadvertentia Authoris; corrige Igitur, Lector, & diù Vale.

Pagina 98 omiſſum eſt. Ri Conjunctivi in quacumque conjugatione apud Oratores breve eſt, apud Poëtas anceps.

Pagina 99 Navis devenit ad ultimas ſyllabas, quam ad finem, & metam Artis, quam Metricam appellamus: legas; Navis devenit ad ultimas ſyllabas tamquam ad finem, & metam Artis, quam Metricam appellamus.

Pagina 284 Adavus, Adavia, Adnepos, Adneptis, legas, Abauus, Abavia, Abnepos, Abneptis.

Imprimatur die 25. *Maii* 1714.

CAN. D. NICOLAUS ROTA
PROVIC. GEN.


D. Petrus Marcus Giptius Can. Dep.

LATINÆ POESEOS

Opuſculum primum

In duos libros partitum.

PRÆFATIO.



Oëſis bicipiti, atque bilingui mõſtro comparatur à Poëtis, quoniam delectat fabulis, & prodeſt allegoriis; fictis rerum imaginibus jocatur ad animorum hilaritatem; & ſanis conſiliorũ eruditionibus mentes illuſtrat ad capeſſendam virtutem, unde eſt illud *Horatij* in ſua poëtica, & prodeſſe volunt, & delectare Poëtæ. Pallas ex capite Jovis, Poëſis ex mente Apollinis natalia agnoſcit, & Geneſim,

ejus Comites duæ sunt, Musica, & Symphonia, hisce magis emicant verba, & plus oblectat verborum artificiosa textura. Nos hoc Opusculum in duos *Libros* dividimus; in uno de Arte metrica pro recta syllabarum quantitate; in altero de Arte poëtica pro urbana metrorum coagulatione tractabimus; sit ergò felici Numinis auspicio, & felicioris exordij alite.

DE ARTE
METRICA
Liber Primus.

ARs Metrica ita dicitur à Metro, quod per pedes metimur: non est aliud nisi Ars metiendi Metra in quocumque genere; docet enim regulas, & præcepta cognoscendi syllabarum quantitatem, & percipien-

di pedum qualitatem pro metrorum compositione, & eorumdem elaboratione. Metrum fit ex pedibus, pedes constat ex syllabis cum certa quantitate, syllabæ componuntur ex literis: Quamobrem primò de literis, secundò de syllabis, tertiò de pedibus, quartò de metro, quinctò de regulis cognoscendi quantitatem omnium, & singularum syllabarum agemus.

DE LITERIS.

Litera ita dicitur á lituris, seu maculis illis, quas recipit ab atramento, cùm notatur, imprimitur, & delineatur; litera est minima pars vocis articulatę; literæ plura accidunt, primò figura, secundô nomen, tertiò potestas, quartò numerus, quinctò ordo. *L*iteræ quibus utũtur

Latini sunt viginti, tres A,b,c,d, e,f,g,h,i,k,l,m,n,o,p,q,r,s,t,u,x, y,z, ex quibus tres sunt propriè Græcorum, K,y,z, quia in dictionibus græcis locum habent; illis tamen utuntur Latini in dictionibus græco-latinis; propterea literæ propriè Latinorum non sunt nisi viginti, quæ remanent, hisce tribus ademptis. Literæ dicuntur etiam *Elementa*, quia sicuti ex Elementis tanquam corporibus simplicibus omnia mixta efficiuntur, ita ex literis tanquam simplicibus, & rudibus principijs omnes lexes, seu dictiones elaborantur; dicuntur etiam notæ, quia atramento notantur, cùm scribuntur.

Literæ dividuntur in alias vocales, & in alias consonantes. Vocales sunt sex A,e,i,o,u,y; dicun-

cuntur vocales, quia solæ vocē habēt, & solę proferri poss t. Ex vocalibus sex totidē diphthongi enascuntur; diphthongus est syllaba una, & eadem compacta ex duabus vocalibus simul, ut ae, au, ei, eu, oe, yi: ex his diphthongis quædam scribuntur, & pronunciantur, ut scribuntur, quales sunt au, ei, eu, yi; quędam aliæ scribuntur, & non pronunciantur, ut scribuntur; quales sunt ae, oe; nam pronunciantur ut e: Poetæ habent facultatem dissolvendi diphthongū in duas syllabas per duo puncta, singula posita supra singulas vocales: Consonantes sunt decem, & septem, quæ remanent ex Abecedario, ademptis sex vocalibus, nempè b, c, d, f, g, h, *K*, l, m, n, p, q, r, ſ, t, x, z, dicuntur consonātes; quia consonant, & vocem

habent cum vocali adjuncta, ut be, ce, de, ef, ge, ah, ka, el, em, en, pe, qu, er, es, te, ix, zeta.

Consonantes iterum dividuntur in octo mutas, & octo semivocales; mutæ sunt illæ, quæ habent vocalem post se, ut be, ce, de, ge, ka, pe, qu, te: *S*emivocales sunt illæ, quę proferuntur cum vocali ante se, ut ef, el, em, en, er, es, ix & zeta quæ æquivalet duplici S, & proinde numeratur inter semivocales. *N*unc lis est an h sit litera an aspiratio: summa dissentio est inter Authores cum Donato, Diomede, & aliis; nos docemus esse aspirationem, & non literam, unde in metro habetur, ut si non esset.

Ex semivocalibus quatuor sunt liquidæ, m, n apud græcos, sed raro; l, r apud latinos, sed frequentissimè: duæ sunt duplices

x, & zeta; x valet duas consonã-tes cs, gs; zeta totidem cõsonantes complectitur, scilicet duas s; nec literæ contemnendæ sunt, licèt minimæ, quia sine iis syllabarum natura dignosci non potest, & consequenter nec pedes, nec metra rectê percipi queunt. Minima nunquam sunt despicienda, si sine minimis maxima cõsistere, aut subsistere nequeãt.

Advertas primò circa literas, quòd I, & V extra dictionem vocales sunt, quia solæ proferuntur: intra dictionem, si præcedãt aliam vocalem, cum qua faciũt eandem syllabam, habent vim consonantis, quia cum sequenti vocali sonum, et pronunciationem habent; ut jecur, janua, vita, victoria, jocus, video.

Advertas secundò, quòd I positum inter duas vocales in ali-

qua dictione naturam induit consonãtis, ut major, Tro,a, ajo, quia proferri non potest sine vocali subsequenti.

Advertas tertiò, quòd jota græcorum semper est vocalis, quia semper pronunciatur solum, ut I,ason, I,ambus, I,aspis: iod Hæbreorum semper est consonans, quia semper profertur cum vocali sequenti, ut Je,sus, Ja,cobus: Jo,annes: Poetæ tamen in metro possunt pronunciare iota, ut iod, et iod, ut iota.

Advertas quartò, quòd u post q semper est consonans, quia pronũciatur simul cum eodem, & vocali sequenti, ut quare, quamobrem, quod.

Advertas quinctò, quòd literæ liquescunt, quotiescunque mutant propriam naturam intra dictiones, ita ut vocales fiant

con.

consonantes, aut consonantes ex semivocalibus fiãt mutæ, aut vocales, ex brevibus fiãt cõmunes.

Advertas ultimò, quod litera f, quamvis extra dictionem sit semivocalis, quia profertur cũ vocali ante se, ut ef; tamen intra dictionem, si præcedat liquidam l, aut r, evadit muta, quia sonum recipit à vocali subsequenti, ut flecto, et non eflecto; frango, et non efrango, fræno, et non efræno, flamen, et non eflamen.

DE SYLLABIS.

SYllabæ ex literis fiunt: Syllaba est unius, aut plurium literarum unica comprehensio, ut amor, amator, amamus. Syllaba multiplex est, primò dividitur in alias primas, in alias medias, et in alias ultimas: secun

dò dividitur in alias longas, in alias breves, et in alias cõmunes, seu ancipites. Syllabæ primæ sunt illæ, quæ habent primum locum, syllabæ mediæ sunt illæ, quæ habent medium locum; syllabæ ultimæ sunt illę, quę habent ultimum locum in dictione, ut amatores, audiemus, legemus: syllabæ longæ sunt illæ, quæ pronunciantur tempore lõgo, ut audimus, obedimus; syllabæ breves sunt illæ, quæ pronunciantur tempore brevi, ut légimus, cúrrimus; syllabę communes, seu ancipites sunt illæ, quæ pronunciantur utroque tempore, ut vólucres, et volúcres, téne bræ, et tenébrę.

DE PEDIBUS.

PEdes ex syllabis componuntur, duabus, tribus, aut pluribus. Pes est pars metri cum

certo

certo numero, ordine, et quantitate syllabarum: partes metrorum dicuntur pedes, quia sicuti, per pedes ultra procedimus, ita metrum per pedes paulatim progreditur ad sui fine, nec ad principium alterius metri subsequentis.

Pedes sunt in multiplici specie, pro nunc sufficiat nosse Dactylum, Anapæstum, Spōdæum Pyrrichium, Choræum, et Iambum, de cætera familia pedum agemus in arte pòètica Dactylus pes est constans ex tribus syllabis, quarum prima est longa, cæteræ breves, ut sydera, flumina, carmina. Anapæstus pes est constans ex tribus syllabis, quarum ultima est longa, ceteræ breves, ut animos, tumidos, fluvios. Spondæus pes est constans ex duabus syllabis, quę

ambæ longæ ſunt, ut armis, caſtris, arvis pyrrichius pes eſt cō: ſtans ex duabus syllabis, quæ ambæ breves ſunt, ut dolor, furor, Deus. Chorxus, ſeu Trochæus, pes eſt conſtans ex duabus syllabis, quarum prior eſt longa, poſterior brevis, ut bella, regna; plauſtra. Iambus pes eſt conſtans ex duabus syllabis, quarum prior eſt brevis, poſterior longa, ut dolos, Deos, foves.

DE METRO.

Metrum ex pedibus contexitur: metrum eſt Oratio certo genere, certo numero, et certo ordine pedum alligata; unde pedes in metro habent genus, numerum, et ordinem definitum ab Authoribus, et à Poēs eos profeſſoribus differunt

maximè inter se Oratio Poetarum, et Oratio Oratorum, illa est pedibus colligata, et compaginata; hæc est à pedibus immunis, et absoluta: faciliùs est proinde orare cum Oratoribus, scilicet cum Tullio, Demosthene, et Isocrate, quàm poetizare cum Poetis, nempè cum Virgilio, Pindaro, aut Homero.

Metrum multiplex est ex dicēdis in arte po tica; pro nunc duplex est, Exametrum nimirùm, et Pentametrum: Exametrum metrum est constans ex sex pedibus, quorum *primi* quatuor, vel omnes sunt Dactyli, vel omnes sunt Spondæi, vel mixti ex Dactylis, et Spondæis; quinctus semper est Dactylus; sextus semper est Spondæus: Pentametrum metrum est constans ex quatuor pedibus, et duabus Cæsuris;

furis; duo primi pedes, vel sunt ambo Dactyli, vel ambo Spondæi, vel alter Dactylus, et alter Spondæus; postea sequitur syllaba longa, quæ dicitur Cæsura, quasi cæsa, et disjuncta à duobus pedibus antecedentibus; deinde sequuntur duo Dactyli, ultimò syllaba altera longa, quæ tanquam secunda Cæsura est quasi abstracta, et recisa à cæteris omnibus præcedentibus, pro exemplo sint illi versus Ovidij in suis Epistolis, Epistola prima Penelopes ad Vlyssem.

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse:
Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.

Quorum metrorum prius est Exametrum, posterius est pentametrum, et sic scanduntur seu dividuntur in suos pedes.

Hanc

Hanc tua:Penelo:pe len:to tibi: mittit U:lisse.
Nil mihi:rescri:bas: attamen ; ipse ve:ni.

Vbi apertè, et evidenter inspiciuntur ea , quæ dicta sunt de utroque metro, Exametro nimirùm, et *Pentametro*.

DE *REGULIS*
Cognoscendi quantitatem omnium , et singularum syllabarum.

Regulæ cognoscendi quantitatem omnium , et singularum syllabarum sunt in quadruplici genere, aliæ pertinent ad primas , et medias syllabas; aliæ pertinent ad incrementa nominum , aliæ ad incrementa verborum , aliæ denique ad ultimas syllabas ; de omnibus sin-

gil

gillatim, et ordinatim dicemus.

DE REGULIS

Pertinentibus ad primas, et medias syllabas.

Regulæ cognoſcendi tempora, et quantitatem primarum, et mediarum syllabarum plures sũt, prima eſt vocalis ante vocalem in dictionibus latinis: ſecunda eſt vocalis ante vocalem in dictionibus græcis: tertia eſt Diphthongus, quarta eſt poſitio, quincta eſt liqueſcẽtia, ſexta eſt præteritum diſsyllabum, ſeptima eſt prgteritum geminans primam, octava eſt ſupinum diſsyllabum: nona eſt ſupinum polysyllabum, decima eſt derivatio, undecima eſt compoſitio, duodecima eſt præpoſitio; decimatertia eſt termi-

natio

natio prioris partis in compo-
ſito.

DE VOCALI ANTE VOCA-
lem in dictionibus latinis.

REGULA PRIMA.

Quotieſcumque in dictionibus latinis vocalis præcedit vocalem, quæ prior eſt, brevis eſt: ut *Deus*, pius, redeo, video, obedio, et ſic deinceps.

EXCEPTIONES.

Primò excipitur Fio cum cõpoſitis, ut Confio, *Defio*, Perfio, in quibus vel poſt utrãq; vocalem ſequitur R, vel non ſequitur R; ſi poſt utramque vocalem non ſequitur R, vocalis ante vocalem longa eſt in omnibus temporibus, et modis, ut

fio,

fio; fiam, confio, confiam, et sic de cæteris, si post utramque vocalem sequitur R, vocalis ante vocalem brevis est, ut fierem fieri, confierem, confieri, et idem dicas de similibus.

Secundò excipiuntur nomina quintæ declinationis, quæ in genitivo, et dativo singulari desinunt in ei; nam vel ante e stat vocalis, vel ante e stat consonãs; si ante e stat vocalis, e longa est ante vocalem sequentem ut diei speciei, meridiei; si ante e stat consonans, e brevis est ante vocalem subsequentem, ut spei, rei fidei. Vocalis tamen, quæ præcedit e, brevis est ex regula generali, vocalis ante vocalem in dictionibus latinis brevis est.

Excipiuntur tertiò omnia nomina, et pronomina, quæ in genitivo singulari desinunt in I,

us,ut unius,illius,istius, ipsius: nam apud Oratores habent I ante VS longum , apud Poetas habent I ante VS commune,varium,et anceps:Oratores dicunt invariabiliter un/us,ill/us,ist/us ips/us . Poetæ modò dicunt un/us,ill/us,ist/us,ips/us,modò dicunt in metro un/us , ill/us, ist/us,ips/us. A'lius tamen in nominativo semper habet I ante V breve:Al/us in genitivo semper habet I ante V longum : sicuti Altérius semper habet I ante V breve tum apud Poetas, tum apud Oratores.

Excipiuntur quartò hæc nomina Pompejus, Cajus, Vultejus, et similia , quæ in vocativo singulari faciunt Pompei , Cai, Vultei cum vocali ante vocalem longa.

Excipiuntur ultimò hæ duæ

in:

interiectiones,eheu, et ohe; ex quibus prima habet e ante e lõgam, secunda habet o ante e cõmune,varium;et anceps.

Versus pro hac Regula.

Vocalem breviant, alia subeunte, Latini;
Produc, ni sequitur R Fio, & nomina quinctæ,
Quæ geminos casus, E longo, assumit in ei:
I, us commune est vati: producito Alius,
Alterius brevia, Pompei, & cætera produc:
Eben produces semper, uariabitur Obe.

DE

DE VOCALI ANTE VOCALEM in dictionibus græcis.

REGVLA SECVNDA.

NOmina græca non habent certam, et determinatam regulam, normam, et legẽ apud Latinos; quandoq; sunt brevia, quandoque sunt longa, quando que sunt communia, in suis syl. labis: unde primò symphónia habet penultimam brevem; se. cundò dius, dia, dium, Thalía, Darius, Cytheréa, Aër, Elegía, atq; alia quãplurima habent pe. nultimam longam; tertiò cho. rea, et platea habent penultimã communẽ modò brevem modò longam; nunc enim dicimus in metro platéa; nunc plátea; nunc dicimus chorea; nunc chórea; in

lo

ſoluta tamen oratione apud Oratores habent penultimam ſemper longam.

Poetæ poteſtatem habent diſſolvendi, et reſolvendi syllabã unam longam in duas in quibusdam certis dictionibus, ut Cytherèa, Cytherei'a, Elegía, Elegei'a, et tunc e ante i longa eſt; i ante a brevis.

Hæ dictiones græco-latinæ Andreas, Idea, Euchariſtia, Philoſophia, Aſtrologia, Ethymologia, Orthographia, Antiochia, Samaria, et ſi quæ sũt aliæ, apud latinos habent penultimã communem, modò brevem, modò longam: brevem ex vocali ante vocalem, longam ex accentu acuto poſito in penultima à græcis, cúm ſint voces paroxytonæ apud eoſdẽ quamobrem dicere potes, ſive

ora.

orator ſis cum Tullio, ſive Poeta ſis cum Marone, Andre'as, *Ide'a* Euchariſtía, Philoſophía, Aſtrología, Æthymología, Orthographía, Antiochía, Samaría, et dicere etiam potes ex arbitrio A'ndreas, I'dea, Euchariſtía, Philoſóphia Aſtrológia, *E*thymológia, Orthográphia, Antióchia, Samária : ſed ſtandum eſt uſui.

Vbi advertas quòd María nomen proprium Deiparæ ſine labe conceptæ habet penultimam communem ex eadem ratione: mária nomen appellativum acceptum pro Congregatione omnium aquarum habet penultimam brevem, quia eſt vox latina cum vocali ante vocalem,

Verſus pro hac Regula.

Græca per Auſoniæ fines ſine lege vagantur:

Quæ

Quædam etenim brevibus, veluti Symphónia, gaudent,
Et quædam longis ceu Día, *Chorea,* Thaiía
Daríus, Cytberéa, *A'er,* Elegía, *platéa;*
Atque alia: at chóream rapuit, pláteamque Poeta;
Soluit & in geminas, veluti Cytbereîa, *longam.*

DE DIPHTHONGIS

REGVLA TERTIA.

Diphthongi ſex ſunt ae, au, ei, eu, oe, yi hujusmodi diphthongi omnes longæ ſunt in græcis, et latinis dictionibus, ut Æneas, Aurora, Achillei, Europa, Cœlum, *Harpyia.*

Excipitur præpoſitio præ; nam extra dictionem ſemper

eſt

est longa, quia diphtongus; intra dictionem, si præcedit vocalem, est brevis, ut præuro, præustus, præopto, præeo; si pręcedit consonantem, est longa, ut præmitto, præpono, præcurro.

Versus pro hac Regula.

Diphongus longa est in Græcis, atque Latinis;
Præ rape præpositam vocali, dic que præustus.

DE POSITIONE.

Regula Quarta.

Positio accidit quadrupliciter in metro, primò si vocalis præcedat duas consonantes in eadem dictione, ut arma, mitto, fructus: secundò si præcedat duas consonantes in diversis dictionibus, ut quatit muros,

armatur gladio. Nobilitat virtus; tertiò si vocalis precedat unam ex literis duplicibus, ut gaza, gazophylacium, Alexander, maximus; quartò si vocalis præcedat I positum inter duas vocales, modò valeat duplex i, ut Troja, Troija, major, maijor, ajo, aijo. Quotiescumque vocalis præcedit duas consonantes in eadem dictione, vel unam ex duplicibus in eadem dictione, vel i positum inter duas vocales in eadem dictione, modò sit i duplex, longa est, ut constat in vocibus præpositis.

Versus pro hac Regula.

Vocalis longa est, si consona bina sequantur.
Aut duplex, aut I vocalibus interjectum.

Ubi advertas primò, quòd si cõcurrant in metro duæ dictiones,

nes,quarum prior deſinat in vocalem brevem,poſterior habeat in principio duas conſonantes, vel unam ex duplicibus, tunc vocalis brevis in fine dictionis antecedentis remanet brevis, nec ei tempus addit, vel litera duplex, vel duplex conſonans in principio dictionis ſequentis, ut Arma Xerſes,Caſtra ſteterunt; unde ſunt illi verſus.

Conſona principium Verbi ſortita ſequentis,
Aut duplex,aut bina,nihil præeuntibus augent
Temporis,ut fiant longæ, ceu Clara Zacynthos.

Advertas ſecundò quòd vocalis præcedens i poſitum inter duas vocales eſt brevis, quotieſcumque i eſt ſimplex, & non duplex i, ut quadriiugus, biiugus,in quibus i ante i brevis eſt

quia ſecundum i eſt ſimplex, & non duplex : in metro dicimus ſubijcio, & ſubicio, deijcio, & deicio, objicio, & obicio, in prima tamen dictione prima syllaba longa eſt, in ſecunda eſt brevis, pro quo ſunt illi alij verſus.

Quadriiugus raptur, biiugus conjungitur illi,
In quibus i duplex non eſt, ſed conſona ſimplex.
Snbijcit, & ſubicit dicunt in carmine vates.

DE LIQUESCENTIA.
Regula Quincta.

Liqueſcentia eſt quoties vocalis ex natura brevis præcedens mutam, & liquidam ſimul in eadem dictione fit communis, ut volucres,

po-

podagra, chiragra, pharetra, pal pebra, & similia.

Vocalis ex natura brevis pręcedens mutam, & liquidam simul in eadem dictione apud Oratores est brevis, apud Poetas est communis, modò brevis, mo dò longa; unde in soluto sermone dicimus te'nebræ, vo'lucres, po'draga, chíragra, pháretra, pálpebra: in metro dicimus te'nebrę, & tene'brę, vo'lucres, & volúcres, pódagra, & podágra, chíragra, & chirágra, pháretra, & phare'tra, pálpebra, & palpe'bra.

Id intelligendum est non solum in dictionibus latinis, sed etiam in græcis, ut cycnus, tecmessa, in quibus dictionibus prima syllaba communis est apud Poetas, quia habet vocalem ante mutam, & liquidam græcorum.

Versus pro hac Regula.

Contrahit Orator, variant in carmine vates,
Si mutam, liquidamque simul brevis una praeibit.

Si tamen vocalis ex natura longa præcedit mutam, & liquidam, tunc remanet longa, ut salúbre, volutábrum, lavácrum arátrum, mátris, átros, nec fit brevis per liquescẽtiam, ut constat ex illis versibus seq̃uẽtibus.

At mutam, & liquidam quoties ab origine longa
Præcedit, rapitur nunquam, ceu Matris, aratrum.

Vocalis quando fit ex natura longa, quãdo ex natura brevis, dignoscitur ex nominativo singulari; nam si vocalis in nominativo, antequam præcedat mutam, & liquidam in obliquis, fit lon,

longa, ex natura censetur longa, ut mater, deinde in obliquis matris, matri, matrem, matre, matres, matrum, matribus prima semper est longa: si vocalis in nominativo, antequam præcedat mutam, & liquidam in obliquis, sit brevis, censetur ex natura brevis, ut Pater, Calaber, Cantaber, deinde in obliquis patris, patri, patrem, patre, Calabri, Calabro, Cantabri, Cantabro, & sic deinceps, observatur regula de liquescentia, & idem dicimus in Coluber, colubri, colubro, colubrum, & sic ulterius.

Insuper si vocalis præcedat mutam, & liquidam in dictionibus compositis, ita ut muta pertineat ad partem antecedentem, & liquida ad partem subsequentem, remanet longa,

& liquefcentia nullum habet ef-
fectum,ut obruo,abrepo,abluo,
quod patet ex illis aliis verfibus.

Vtraque vocalem ſi conſona
juncta ſequentem
Non ferit, anteiens brevis eſt,
velut obruo,nunquam.

dicimus enim ob·rúo,nõ o:bruo
ab:repo, non a:brepo , ab:luo,
non a:bluo.

DE PRETERITIS DISSYLLABIS.

Regula Sexta.

PRæterita diſsyllaba, ſeu biſ-
syllaba ſunt illa, quę duas
habent syllabas, ut vidi, vici,
movi,ſedi.

Omnia præterita diſsyllaba
habent primam longam, ut vi-
di, vici, movi, ſedi, & idem dicas
de compoſitis,ut pervídi, devi-
ci,

ci,commo'vi, conse'di,quoniam composita sequuntur legem, & regulam simplicium,ut dicemus inferiùs.

Excipiũtur sex præterita steti à sto,dedi a do, scidi à scindo tuli à fero,fidi à findo, & bibi à bibo,quæ habent primam brevem, & idem observatur in cõpositis, ut abstiti, circumdedi, abscidi,contuli,diffidi, combibi.

Veni vel est præteritũ, vel imperativum;si præteritum,habet primam longam,quia est bissyllabum: si imperativum, habet primam brevem, quia derivatur à venio, in quo prima est brevis: derivata sequuntur naturam derivantium.

Fidi à *Fido* habet primam longam, quia est præteritum dissyllabum: à Findo habet primam brevem, quia pati-

tur exceptionem: unde dicimus diffidi à diffindo, & diffidi à diffido.

Versus pro hac Regula

Præterita assumunt primam dissyllaba longam;
Sto, Do, scindo, fero rapiunt, bibo, findo priores.

Nunc lis est, quomodo dicendum sit Abscidit, an A'bscidit? utrumque dici potest apud Pòëtas; apud Oratores dicitur A'bscidit, quia Pòëtæ putant componi à Scindo, & à Cædo: Oratores existimant componi á soló verbo Scindo, cum recesserit ab usu compositum á Cædo: unde est ille versus

A'bscidit, Abscidit modulatur utrumque Pòëta.

DE PRÆTERITIS geminantibus primam.

REGULA SEPTIMA.

PRæteritum geminat primam, cum ex tribus ſyllabis conſtat: tripliciter præteritum geminat primam, primò ſine ulla poſitione in ſyllabis, ut peperi; ſecundò cũ poſitione in alterutra, ut tetendi: tertiò cum poſitione in utraque, ut conceſſi.

Si præteritum geminet primam ſine ulla poſitione, tunc ambæ primæ ſyllabæ ſunt breves, ut peperi, cecini tetigi: ſi utramque cum poſitione, utraque eſt longa, ut extendi; ſi alterutram, tunc ſyllaba cum poſitione longa eſt, ut tetendi, cucurri.

Cecidi à cædo, & Pepédi à pedo habet primam brevem, & ſe-

cundam longam per exceptionem; cécidi à cado habet primam, & secundam brevem; omnia manifestantur ex illis versibus.

Præteritum geminet si primam, corripe utramque,
Ut pario, peperi, vetet id nisi consona bina;
Cædo cecidit habet longam, ceu pedo pepédi.

DE SUPINIS DISSYLLABIS
Regula Octava.

Supina dissyllaba, seu bissyllaba dicuntur illa, quæ ex duabus syllabis constant, ut motũ, visum, latum; hujusmodi supina primam syllabam longam habent.

Excipitur primò supinum à reor, ut ratum; secundò à cieo ut citũ; tertiò a sero, ut satum; quartò ab eo, ut itũ; quinctò situm

tum à ſino; ſextò litum à lino; ſeptimò datum à do; octavò quitum à queo; nonò rutum à ruo, in quibus prima ſyllaba eſt brevis.

Verſus pro hac Regula.

Cuncta Supina volunt primam diſſyllaba longam;
At Reor, & Cieo, Sero, & ire, ſinoque, Linoque,
Do, Queo, & orta Ruo breviabũt ritè priores.

Nunc advertas omnia *Supina* compoſita ab his, retinent penultimam brevem, quia cõpoſita ſequuntur quantitatem ſimplicium in iiſdem ſyllabis, ut infrà dicemus. Quamobrem e'xcitum, cóncitum à cieo; cónsitum, circúmsitum à ſero; re'ditum, óbitum ab eo; de'situm pe'rsitum à ſino; o'blitum, pe'rlitum à *Lino*; circúmdatum à

Do

Do, cónquitum à queo, & dírutum, óbrutum à Ruo habent penultimam brevem. Cítum habet primam longam à Cio verbo quartæ conjugationis, & sic cõpo sita concítum, excítum habent penultimam longam. E contra Citum habet primam brevem à verbo Cieo secundæ conjugationis, & sic composita éxcitum, cóncitum habent penultimam brevem.

DE SUPINIS POLISYLLABIS REGULA NONA.

SVpina Polysyllaba sunt ea, quæ habent plures syllabas, quàm duas: alia desinunt in utum, alia desinunt in itum à præterito in ui; alia desinunt in itum à præterito in V, i, vel di.

Omnia Supina Polysyllaba desinentia in Utum, ut pollútum,

tum, argútum, solútum, volùtum habent penultimam longam.

Omnia Supina Polysyllaba in itum, à prȩterito in *Ui* habent penultimam longam, ut audítum, petítum, cupítum à præterito audivi, petivi, cupivi.

Omnia Supina Polysyllaba in itum à præterito in u, i, vel di, habent penultimam brevem ut monitum à monu,i. tacitum à tacu,i, creditum a credidi.

Excipiuntur Agnitum, & cognitum a præterito agnovi, & cognovi, quoniam habent penultimam brevem.

Versus pro hac Regula.

Uitum producunt Polysyllaba *cũcta Supina ;*
De Vi præterito semper producitur Itum;
Agnitus agnosco ; cognosco cognitus effert.

Cætera corripies in Itum tu cuncta Supina.

Dubitatur nunc quomodo ſit pronunciandum, cónditum, an condítum. Diſtinguas, vel hujuſmodi Supinum venit à verbo Condio, vel à verbo Condo: ſi à verbo Condio, condis, habet penultimam longam, & dicitur condítum, quia venit à præterito condivi deſinente in *vi*. Si à verbo Condo, condis, habet penultimam brevem, & dicitur cónditum, quia à præterito condidi, ut volunt Experti in hac materia.

DE DERIVATIS
Regula Decima.

DErivata ſunt ea, quæ ab aliis derivantur, & ab aliis originem trahunt.

De-

Derivantia ſunt ea, ex quibus alia derivantur: ſic Venio, Veni, Amo, Lego, Fero, Bibo, Video dicuntur derivãtia, quia à Venio derivatur venis, veniebam, veniam, venire: à Veni derivatur veniſti, veneram, veniſſem, venerim, venero, veniſſe; ab Amo derivatur amans, amator, amor: à Lego derivatur legans, legatus, legatio; à Fero derivatur ferens; á Bibo bibens; à Video videns, & ſic de ſimilibus.

Omnia derivata ſequuntur naturam eorum, a quibus derivantur: unde in iiſdem ſyllabis ſunt longa, brevia, aut commũnia. Sic paternus, paterna, paternum in omnibus caſibus, & numeris habent primam brevem, quia derivantur a Pater, ubi prima ſyllaba eſt bre-

vis:

Maternus, materna, maternum in omnibus casibus, & numeris habent primam longam, quia derivantur a Mater, ubi prima est longa. Propinans, propinator, propinaturus in omnibus casibus, & numeris habent primam communem, quia derivantur a Propino, ubi prima est communis; modò brevis, modò longa.

Excipiuntur primò mobilis, fomes, laterna, regula, & sedes, in quibus prima syllaba est longa, licèt eadem brevis sit in Moveo, Foveo, Lateo, Rego, et Sedeo, à quibus derivantur.

Excipiuntur secundò Arista, Vadum, Sopor, et Lucerna, in quibus prima syllaba est brevis, quamvis eadem sit longa in Areo, Vado, Sopio, et Luceo, a quibus derivantur: cætera o-

mnia

mnia pertinentia ad hăc regulam uſu, Proſodia, et exemplis Poëtarum addiſcuntur.

Verſus pro hac Regula.]

Derivata Patris naturam Verba ſequuntur,
Mobilis, & Fomes, Laterna, ac Regula, Sedes,
Quamquam orta è brevibus, gaudent producere primam:
Corripiuntur Ariſta, Vadum, Sopor, atque Lucerna,
Nata licèt longis; Uſus te plura docebit.

DE COMPOSITIS.

Regula Undecima.

COmpoſita ſunt ea, quæ ex aliis componuntur, ut perlego à lego, Adamo ab Amo, Deprecor à Precor, ebibo à bibo,

bo, præfero à fero.

Simplicia ſunt ea, quæ ex aliis non componũtur, ut lego, amo, precor, bibo, fero. Simplicia tripliciter reperiuntur in compoſitis, primò omnibus integris & invariatis, ut eo redeo, fero, antefero, luceo, perluceo: ſecũdò mutata vocali in aliam vocalem, ut cado, occido; tertiò mutata diphtongo in ſimplicem vocalem, ut audio, obedio, & ſic in aliis.

Compoſita ſequuntur, et retinent legem, regulam, & quantitatem ſuorum ſimplicium; unde ſi ſimplex ſit breve, longum, aut commune, compoſitum pariformiter erit breve, longum, aut commune in eadem syllaba; ſive ſimplex ſtet integrum, ſive mutet vocalem in vocalẽ, ſive mutet diphthõgũ

gum

in vocalē in cōpoſito, ut cōſtat in dictionibus prępoſitis:ex quo ſequitur primò ; quòd ebibo, perlego, adamo, deprecor habent penultimam brevem,quia eadem eſt brevis in ſimplicibus bibo,lego,amo,precor.ſequitur ſecūdò,quòd occido,occidis,occidit habent penultimam brevem a ſimplici cado,cadis,cadit: habent penultimā longā a cædo, mutata a in i in ſuis compoſitis ſequitur tertiò, quod obedio, obedis, obedit habent penultimam longam, quia eadem eſt longa in ſimplici audio, audis, audit, quod mutat au in e in ſuis compoſitis.

Primò excipiuntur deiero,& peiero,in quibus ſecunda ſyllaba brevis eſt,licèt eadem ſit longa in ſimplici iuro,iuras.

Secundò excipiuntur innuba,

ıa,& pronuba,in quibus penultima eſt brevis,quamvis eadem ſit longa in ſimplici nubo,nubis

Tertiò excipitur nihilum, ubi penultima eſt brevis, quantumvis eadem ſit longa in ſimplici hilum.

Quartò excipitur ſemoſopitus, ubi antepenultima brevis eſt,etſi eadem longa ſit in ſimplici ſopio.

Quinctò excipiuntur omnia nomina compoſita à dico, ut fatidicus, cauſidicus, veridicus, falſidicus, in quibus penultima eſt brevis,cum ſit longa in ſimplici dico,dicis,

Sextò excipitur ambitus,ambita,ambitum,participium,ubi penultima longa eſt, licèt eadē ſit brevis in ſimplici itum. Ambitus, ambitus, ambitui nomen quartæ declinationis habet penul-

nultimam brevem.

Versus pro hac Regula.

Legem simplicium retinēt compoſita ſuorum;
Vocalem licèt, aut diphthongum syllaba mutet:
Deiero, ſed iuro dat, peieroque; innuba nubo,
Pronubaque, atque hilum nihilum dat, ſemiſopitus
Sopio: fatidicus, fratreſque à dico creantur:
Participiale ambitum ab itum inter longa repone.

DE PRÆPOSITIONE
Regula Duodecima.

PRæpoſitio ita dicitur, quia præponitur verbis, aut nominibus ſimplicibus, mutando, augendo, aut diminuendo eorum ſignificationem.

Præpoſitio multiplex eſt,alia in a, ut amitto:alia in e, ut eripio:alia in de,ut depono:alia in ſe,ut ſeparo,alia in di, ut dimitto:alia in re, ut remitto, alia in pro,ut propono: alia in ab, ad, in,ob,per,ſub,ſuper,ante,& circum, ut aberro, adamo, inuro, obeo,perungo, ſubeo, ſuperaddo,antefero,circumago.

Primò prępoſitio a,de,e,ſe,di longa eſt in compoſitis,ut amitto,depono, eripio,ſeparo,dimitto,in quibus prima syllaba elõgatur. Excipiuntur dirimo, & difertus, in quibus præpoſitio di brevis eſt per exceptionem.

Præ poſitio Re brevis eſt, ut repono, remitto, reduco: Excipitur refert referebat imperſonale, quod habet *Re* longum in omnibus temporibus,& modis: Refero, refers perſonale in

omni-

omnibus temporibus, & modis habet Re breve; disparitas est, quia refert, referebat imperso-nale habet ly Re tanquam no-men quinctæ declinationis, quod est longum, ut diximus in ultimis syllabis: refero, refers personale habet ly Re tamquam præpositionem, quæ brevis est in compositis.

Præpositio Pro apud Grecos in dictionibus græcis brevis est, ut propontis, propontidos; ubi pro breve est in omnibus casi-bus utriusque numeri. Præpo-sitio pro apud Latinos in dictio-nibus latinis longa est, ut pro-moveo, protraho, produco; plu-ra tamen excipiuntur ab hac regula.

Primò excipiuntur composi-ta à fundus, ut profundus, pro-funda, profundum, quæ in om-

nibus casibus, & numeris habent Pro breve.

Secundò excipiuntur composita à Fugio, ut profugio in omnibus temporibus, & modis; profugus, profuga, profugum in omnibus casibus, & numeris habent Pro breve.

Tertiò excipiuntur composita à Nepos, & Neptis, ut pronepos pronepotis, proneptis hujus proneptis in omnibus casibus, et numeris habent Pro breve.

Quartò excipiuntur composita à Festus, ut profestus, profesta, profestum, in omnibus casibus, et numeris cum Pro breve.

Quinctò excipiuntur omnia composita à faris, vel fare, ut profaris, profare, profatur, profatus in omnibus tempori-

bus,

et modis cum Pro breve.

xtò excipiuntur omnia posita à fateor, ut profiteor iteris, profitere, profitetur mnibus temporibus, et mo. ; professio etiam, et profes-; professa, professũ in omni-s casibus, et numeris habent o breve.

Septimò excipiuntur omnia mposita à Fanum, ut profa-us, profana, profanum in o-nnibus casibus, et numeris ha-ent *Pro* breve.

Octavò excipiuntur profe-ctò adverbium, procella, et pro-tervus, proterva, protervum in omnibus casibus, et nume-ris habent Pro breve.

Proficiscor, proficisceris in o-mnibus temporibus, et modis habet Pro longum; sicuti pro-fectus, profecta, profectum in

omnibus casibus, et numeris, et consequenter profecto in dativo, et ablativo singulari, habent Pro longum.

Nonò excipitur propago; nam vel est nomen, vel est verbum: si nomen, et significat genus, stirpem, prosapiam, habet Pro breve; si nomen, et significat vites, habet Pro longum: si verbum, habet Pro commune in omnibus temporibus, et modis, ut propagas, propagabam, propagavi, propagaveram, propagabo, et sic deinceps.

Decimò excipiuntur propino, propinas; procuro, procuras, et profundo profundis in omnibus temporibus, et modis habentia Pro commune, modò breve, modò longum.

Præpositiones ab, ad, in, ob, per, sub, super, ante, et circum,

bre-

breves sunt in compositis, ut aberro, aduro, inhæreo, obeo, perago, subeo, superaddo, antefero, circumago: si tamen sequantur post earum vocalem duæ consonantes, tunc vocalis longa fit positione, ut abripio, adsono, insurgo, obtempero, pertingo, submitto, superpono, circumdo. Præpositio Circùm apud Antiquos remanebat integra ante vocalem, aut diphthongum, & erat brevis: nunc absorbetur M cum vocali antecedenti, quoties præcedit vocalem, aut diphthongum, per figuram, quæ appellatur Ecthlipsis à Poëtis, ut dicemus infra in ultimis syllabis.

Versus pro hac Regula.

Longa A, De, E, Se, Di, præter Dirimo, atque Disertus;

 Sit

Sit Re breve, at refert à Res producito ſemper:
Corripe Pro græcum; produces ritè latinum.
Contrabe quæ, Fundus, Fugio, Neptiſque, Nepoſque,
Et Feſtus, Fari, Fateor, Fanumque crearunt,
Hiſce profectò addes, pariterque procella, protervus,
Atque propago genus, propago protrabe Vitis;
Propino varia, procuro, propago, profundo:
Corripe Ab, & reliquas, obſtent niſi conſona bina,
Quæ ſunt Ad, Vel, In, Ob, Per, Sub, Super, Anteque, Circum.

DE

DE PRIORI PARTE *terminante in Composito*.

REGULA DECIMATERTIA.

COmpositum habet duas partes componentes, ex quibus fit, & integratur, prior pars multipliciter desinit, quandoque in A; quandoque in E; quandoque in I, aut Y; quandoque in O. *U*nde hic videndū est, an prior pars in composito habeat ultimam vocalem brevem, longam, an ancipitem.

Si prior pars compositi desinat in A, A longum est, ut Trado, Traduco, Trano, & alia, in quibus prima syllaba longa est; nec hujusmodi regula patitur exceptionem ullam.

*S*i prior pars desinat in E, E breve est, ut tepefacio, calefacio frigefacio, in omnibus tempori-

bus, & modis, habent ſecundam ſyllabam brevem; idem dicas de verbis paſſivis, de participiis, gerundiis, & ſupinis derivatis ab hujuſmodi verbis.

Si prior pars deſinat in i, vel y, etiam i, aut y eſt breve, ut omnipotens, cauſidicus, omniparens, fatidicus, veridicus, falſidicus, Polydorus, Polyſintheton, polyſyllabus, in quibus omnibus, & ſimilibus ſecunda ſyllaba eſt brevis.

Excipiuntur primò nequidquam, nequando, nequam, nequaquam, nequis, nequa, nequod in omnibus caſibus, & numeris, in quibus prima ſyllaba longa eſt.

Secundò excipitur veneficus, venefica, veneficũ, veneficiũ, in quibus ſecunda ſyllaba lõga eſt.

Tertiò excipitur idem, nam

vel

vel est neutrum, vel masculinū; si neutrum, habet i breve; si masculinum, habet i longum.

Quartò excipitur siquis, si qua siquod, vel siquid in omnibus casibus, & numeris, in quo prima syllaba est longa.

Quinctò excipitur ibidem, tibicen, ubique, quadrigæ, tantidem, videlicet, & composita à die, ut quotidiè, postridie, meridie, in quibus secunda syllaba longa est.

Sextò excipitur scilicet, bigę, bimus, bima, bimum in omnibus casibus, & numeris, ubi prima syllaba lònga est.

Ultimò excipitur quidam, sive singulare, sive plurale, quod habet primam longam.

Si prior pars desinat in o; vel loquimur apud *Græcos*; vel loquimur apud Latinos; si apud

Græcos, habet o breve, ut Samothracia, ubi secunda syllaba est brevis: Minotaurus, & Geometra per exceptionem habent secundam syllabam longam, quamvis sint dictiones Græcorum; Si loquimur apud Latinos, o est varium, & commune, modò breve, modò longum in diversis dictionibus: Alioquin, & quandoque habent o longum; quandoquidem habet o breve.

Versus pro hac Regula.

Produc A semper composti parte priori;
At simul E, simul I crebrò breviare memento;
Nequidquam produc, nequando, venefica, nequam,
Nequaquam, Nequis, sociosque,

vi-

videlicet addes:
Idem masculeum produt, & si quis, ibidem,
Scilicet, & bigæ, tibicen, ubique, quadrigæ,
Bimus, tantidem, quidam, composita diei:
Compositi O breviant Græci, Samothracia testis
Sed Minotaurus, pariterque Geometra longum est.
O Latium variat; pro lucer e namque Alioquin,
Et Quandoque, at Quandoquidem breviare solemus.



DE REGVLIS

Pertinentibus ad Incrementa Nominum.

POst Regulas ſpectantes ad quantitatem primarum, & mediarum ſyllabarum, explicamus Regulas pertinentes ad Incrementa Nominum, quæ ſunt in duplici genere: alia in numero ſingulari, alia in numero plurali; priùs de Incrementis Nominum in numero ſingulari, poſteriùs de Incrementis Nominum in numero plurali tractabimus.

DE INCREMENTIS NOMINUM
in numero ſingulari.

NOmen habet incrementum in numero ſingulari, ſi caſus obliqui ſingulares creſcant, ſeu increſcant in ſyllabis pluſquàm Nominativus, ſeu rectus: ſi caſus obliqui ſingulares habent pares ſyllabas cum recto ſingulari, tunc Nomen nullum habet incrementum ſingulare, ſic muſa, terra, Domina nullum habent incrementum in numero ſingulari, quia caſus obliqui ſingulares habent pares ſyllabas cum nominativo ſingulari. E contra felix, corpus, fulmen habent incrementum in numero ſingulari, quia caſus obliqui ſingulares habent plures ſyllabas

quam

quàm rectus singularis, ut felix, felicis, felici felice; corpus, corporis, corpore; fulmen, fulminis, fulmine: Agimus hic de Incremento singulari in nominibus primæ, secundæ, & tertiæ declinationis, non autẽ quartæ, et quinctę, in quibusquãvis sit incrementum, tamen ejus quantitas patet ex regula vocalis ante vocalem; propterea primò sermo erit de Incrementis nominum primæ, & secundæ declinationis; deinde de Incrementis tertiæ declinationis in numero singulari.

DE INCREMENTIS NOMINUM

Primæ, & secundæ declinationis in numero singulari.

Regula Prima.

NOmina primæ declinationis nullum habent incremen-

mentum in numero singulari, quia pares syllabæ sunt in recto, & in obliquis singularibus, ut musa, musæ, musam. Terra, terræ, terram; Domina, Dominæ, Dominam.

Apud Poëtas habent quandoque incrementum, si diphthongus ae dissolvatur in ai, ut musa, musai pro musæ: terra, terrai pro terræ. Aula, Aulai, pro Aulæ, & tunc incrementum longum est; Ubi advertas, quod incrementum semper consistit in penultima syllaba.

Nomina secundæ declinationis habent incrementum breve in numero singulari, ut vir, viri, viro, virum; semivir, semiviri, semiviro, semivirum; Satyr, Satyri, Satyro, Satyrum, & semper illud exposcunt breve unde præcedentes obliqui habent

bent penultimam brevem.

Excipitur Iber, quod habet incrementum singulare longū, ut *I*beri, Ibero, Iberum, ubi penultima elongatur per exceptionem.

Versus pro hac Regula.

Casibus obliquis vix crescit prima; secunda
Corripit incrementa, tamen producit Iberi.

De Incrementis nominum tertiæ declinationis in numero singulari.

NOmina tertiæ declinationis habent incrementum in numero singulari. Primò in a, ut Annibal, Annibalis. Secūdò in e, ut merces, mercedis. Tertiò in i, ut felix, felicis. Quartò in y, ut Onyx, Onycis. Quinctò

ctò in o, ut candor, candoris. Sextò in u, ut virtus, virtutis. De ſingulis agendum.

De incrementis tertiæ declinationis in A in numero ſingulari.

REGULA SECUNDA.

OMnia nomina tertiæ declinationis, quæ in numero ſingulari habent incrementum in A, illud habent longum, ut pax, pacis, paci, pacem, pace. Titan, Titanis, Titanẽ, Titane; vectigal, vectigalis, vectigali, vectigale; Ajax, Aiacis, Aiaci, Aiacẽ, Aiace, in quibus penultima longa eſt, quia incrementum ſingulare nominum tertiæ declinationis in a.

Excipiuntur primò ex hac regula omnia nomina maſculi-

na

na tertiæ declinationis desinentia in AL, & AR, ut Annibal, Annibalis, Annibali, Annibalē, Annibale: Amilcar, Amilcaris, Amilcari, Amilcarem, Amilcare, in quibus incrementum a breve est.

Secundò excipitur par, paris, cum compositis, ut dispar, disparis, compar, comparis, impar imparis, in quibus incrementum a breve est.

Tertiò excipiuntur hepar, hepatis: bacchar, baccharis: nectar, nectaris: vas, vadis: mas maris: anas, anatis: lar, laris, & iubar, iubaris, in quibus incrementum a per exceptionem corripitur.

Ubi advertas quòd Vas, vasis habet penultimam longam, quia incrementum singulare tertiæ declinationis in a: Vas, vadis habet penultimam brevem, quia excipitur.

Ver.

Versus pro hac Regula

Nominis A crescens, quod flectit tertia longum est;
Mascula corripies AL, & AR finita, simulque
Par cum compositis, hepar cum bacchare nectar.
Cum vades mas, & anas, cui iunge laremque, iubarque

Omnia nomina græca tertiæ declinationis desinentia in a, & as habent incrementum singulare breve, ut pŏēma, pŏēmatis, vel pŏēmatos, pŏēmati, pŏēmate: Pallas, palladis, vel pallados, palladi, palladem, vel pallada, pallade habent penultimã brevem. Sicuti omnia nomina tertiæ declinationis desinentia in s cum aliqua consonante ante s, ut Arabs, arabis, arabi, arabem, arabe: trabs, trabis, trabi, trabem trabi, trabe corripiuntur in penul.

nultima; quibus adduntur ſequentia nomina dropax, dropacis; antrax, antracis; atrax, atracis; smilax, smilacis; climax, climacis; athax, athacis; panax, panacis; colax, colacis; ſtyrax, ſtyracis; fax, facis; abax, abacis; corax, coracis; phylax, phylacis, in quibus incrementum breviatur per exceptionē.

Arctophylax, arctophylacis habet penultimam brevem, quia componitur á phylax phylacis, in quo penultima eſt brevis; compoſita enim ſequuntur naturam ſuorum ſimplicium ex dictis ſuperius; reperitur tamē arctophylax cum incremento longo, ſed rarò apud poetas, fortaſſe ex neceſſitate metrica.

*S*yphax, syphacis habet penultimam longam, quandoque tamen brevem. Pharnax, pharna-

nacis ; seu potius pharnaces, pharnacis, & Candax, Candacis, seu potius Candace, Candaces habet penultimam ancipitem apud poëtas, unde sunt illi versus.

A quoque, & as græcum breve postulat incrementum,
S quoque finitum, si consona ponitur ante,
Et dropax, antrax, atrax cum smilace, climax:
His Athacem, panacem, colacem, styracemque, facemque,
Atque abacem, coracem, phylacem, compostaque necte.

DE INCREMENTO SINGVlari tertiæ declinationis in E.

REGULA TERTIA.

OMnia nomina tertiæ declinationis, quæ habent in numero singulari incremētū in E, il-

llud habent breve, ut pulvis, pul veris, pulveri, pulvere, pulvere: funus, funeris, funeri, funere: teres, teretis, tereti, terete, in quibus, & similibus penultima corripitur, quia incrementum in e.

Primò excipiuntur omnia nomina tertiæ declinationis cū genitivo in enis, ut siren, sirenis, sireni, sirenem, sirene, in quibus penultima producitur per exceptionem.

Secundò excipitur iber, iberis; ver, veris; luter, luteris; locuples locupletis; hæres, hæredis; merces, mercedis; quies, quietis; lex, legis; veruex, veruecis; halec, halecis; seps, sepis; plebs, plebis; ren, renis, in quibus penultima est longa.

Tertiò excipiuntur omnia nomina peregrina, seu hebraica

ca desinentia in el, ut Michàël, Michàëlis. Raphàël, *Raphaelis*, *S*alathiel, *S*alathielis, in quibus penultima est etiam longa.

Quartò excipiuntur omnia nomina græca desinentia in er, & es, ut crater, crateris; labes, labetis; soter, soteris; tapes, tapetis, in quibus, & aliis incrementum est lõgũ: æther, ætheris, et aer, aeris habent incrementum breve, quantum vis sint nomina græca desinentia in er.

Versus pro hac Regula.

E crescens nume ro breviabit tertia primo:
Verùm protrahitur genitivus in Enis, *Iberque,*
Ver, luter, locuples, hæres, mercesque, quiesque,
Lex, ueruex, halec, seps, plebs, ren: insuper adde
EL peregrinum: er, es græcum, æthere, & aère demptis.

DE

DE INCREMENTO SINGV. lari tertiæ declinationis in i, vel y.

REGULA QVARTA.

Omnia nomina tertię declinationis habentia incrementum singulare in i, vel y, illud habent breve, ut pugil, pugilis: ordo, ordinis stipes, stipitis: chalybs, chalybis: chlamys, chlamydis, in quibus penultima est brevis.

Primò excipiuntur nomina tertiæ declinationis cum genitivo in inis, vel ynis, ut delphin, delphinis: salamin, salaminis: phorcyn, phorcynis, in quibus penultima producitur cõmunissimè apud Authores.

Secundò excipitur vibex, vibicis: Nesis, nesidis: lis, litis; Dis, ditis: & samnis, samnitis, in quibus pe-

penultima per exceptionem est longa.

Versus pro hac Regula.

Corripiet pariter crescens i ter tia primo
In numero, at grecum patrium producit in inis,
Et vibex, Nesis, lis, Dis, quibus addito samnis.

Omnia nomina tertiæ declinationis desinentia in ix, vel yx habent i, vel y incre[illegible]entum longum, ut perdix, perdicis, perdici, perdicem, perdice; felix, felicis, felici, felic , felice; bõbyx, bõbycis, bõbyci, bombycem, bombyce, in quibus penultima est longa, quia incrementum in i, vel y ex nominibus tertiæ declinationis desinentibus in ix, vel yx.

Excipiuntur primò histrix, histricis; fornix, fornicis; varix,

varici; coxendix, coxendicis, in quibus incrementum eſt breve.

Excipiuntur ſecundò chænix chænicis; cilix, cilicis; natrix, natricis; calix, calicis; & phryx, phrygis, in quibus incrementum etiam eſt breve.

Excipiuntur tertiò eryx, erycis; onyx, onycis; nix, nivis; pix, picis; ſalix, ſalicis; ſilix, ſilicis; Sardonix, Sardonicis; Calyx, Calicis, & Laryx, larycis, in quibus incremẽtum etiam corripitur.

Excipitur quartò Bebrix, Bebricis, in quo incrementum eſt cõmune, & anceps modò breve, modò longum apud Poetas, unde ſunt illi verſus.

IX produc: breviato b ſtrix cum fornice varix,
Coxendix, chenixque, cilix, natrixque, calixque.
Phryx, & Eryx, & onyx, nix, pix.
que

queſalixque, ſilixque, Sardonycis, Calycis, Larycis: ſit Bebrycis anceps.

DE INCREMENTO SiNGVlari tertiæ declinationis in O.

REGULA QUARTA.

OMnia Nomina tertiæ declinationis habentia incrementum in o, illud habent longum in numero ſingulari, ut Fulgor, fulgoris, fulgori, fulgorem, fulgore: Candor, candoris, candori, candorem, candore: Decor, decoris, decori, decorem, decore, in quibus incrementum o longum eſt in omnibus obliquis ſingularibus.

Excipiuntur primò omnia nomina græca; nam vel habent pro incremento Omicron, ſeu o parvum; vel habent pro in-

crementoOmega, seu o magnū; si habent pro incremento Omicron, seu o parvum, illud habent breve; si habent pro incremento Omega, seu o magnum, illud habent longum; quamobrem hæc nomina Philemon, Philemonis: Sindon, Sindonis; Palæmon, Palæmonis; Agamennon, Agamemnonis; Jason, Jasonis; Amazon, Amazonis; Sēnon, Sennonis; Briton, Britonis, Lingon, *Lingonis*; *Teuton*, Teutonis; Vascon, Vasconis; Macedo, Macedonis: *Saxo*, *Saxonis*; Pepo, peponis, atque alia habent incrementum breve in numero singulari quia scribitur per Omicron apud Græcos. E contra hæc nomina Solon, Solonis; *Plato*, Platonis; Spadon, Spadonis; Sidon, *Sidonis*; Lacon, Laconis; Sycion, Sycio-

cionis habent incrementum longum; quia illud scribitur per Omega. Orion, Orionis; & Ægon, Ægonis habent incrementum commune, quia modò per Omicron, modò per Omega scribuntur. Cætera addiscuntur exemplis, & praxi, usu, & Prosodia.

Excipiuntur secundò omnia nomina tertiæ declinationis neutra cum genitivo in oris, ut Marmor, marmoris; corpus, corporis; ebur, eboris; decus, decoris; in quibus incrementum ò breve est. Ubi advertas, quòd aliud est decor, decoris masculinum; aliud decus, decoris neutrum: Decor, decoris masculinum habet incrementum longum ex regula generali. Omnia nomina tertiæ declinationis habentia incremen-

tum in o, illud habent longum in numero singulari; Decus, decoris neutrum habet incrementum breve per exceptionē, quia nomina neutra cum genitivo in oris habent incrementū breve; Os, oris, licèt sit nomen neutrum tertiæ declinationis, tamen habet O longū, quia excipitur Majus, majoris; & minus, minoris habent o longum in obliquis, quia sequuntur quantitatem masculinorum Major, majoris; & minor, minoris, in quibus incrementum est longum. Castor, & Nestor, quamvis nomina masculina, etiā habent incrementū breve, sicuti Arbor, arboris. Lepus, leporis corripitur in obliquis; Lepor seu lepos, leporis producitur in incremento per exceptionem.

Excipiuntur tertiò omnia

com-

compoſita à pus, ut bipus, bipodis: tripus, tripodis: quadripus, quadripodis, in quibus incrementum o eſt breve.

Excipiuntur quartò Bos, bovis: compos, cõpotis, & impos, impotis, in quibus incrementum eſt breve.

Excipiuntur quinctò Cappadox, Cappadocis: Allobrox, Allobrogis: Præcox, præcocis: obs, obis, & ops, opis, in quibus incrementum o etiam eſt breve: Cecrops, cecropis: hydrops, hidropis: & Cyclops, cyclopis habent incrementum longum.

Verſus pro hac Regula.

O *creſcens numero producimus uſque priore:*
O *parvum in Græcis brevia, producito magnum:*

 Cor-

Corripitur genitivus oris, quem neutra dedere
Nomina, sed produc Os, oris: sit brevis Arbor,
Et Lepus, & pus compositum, bos, compos, & impos;
Adde his Cappadocem, Allobrogem cum præcoce, & obs, ops;
Verum produces Cecrops, Hydropsque, Cyclopsque.

DE INCREMENTIS NOMINUM
Tertiæ declinationis in U.
REGULA QUINCTA.

SI nomina tertiæ declinationis habeant incrementum in *U*, illud habent breve in numero singulari, ut murmur, murmuris: furfur, furfuris: turtur, turturis: redux, reducis, in quibus incrementum *U* bre-

breve est in numero singulari.

Excipiuntur primò omnia nomina tertiæ declinationis desinentia in Us cum genitivo in udis, uris, & utis, ut palus, paludis: tellus, telluris; virtus, virtutis, in quibus incrementum *V* longum est.

*E*xcipiuntur secundò Fur, furis; lux lucis: & frux, frugis, in quibus *V* etiam est longum. Intercus, intercutis: pecus, pecudis: & Ligus, Liguris habent *V* breve; quamvis sint nomina tertiæ declinationis desinentia in *V*S cum genitivo in utis, udis, & uris.

Versus pro hac Regula.

U, brevia incrementa feret, sed casus in Udis,
Uris, & Utis ab Us *recto produci-*

situr, & *Fur*,
Lux, frux, sed breuis intercus-
que, Pecusque, Ligusque.

DE INCREMENTIS NOMINUM *in numero plurali.*

REGULÆ DUÆ.

NOmina habent incrementum in numero plurali quotiescumque casus obliqui plurales habent plures syllabas, quàm nominatiuus pluralis, ut musæ, musarum. *Domini*, *Dominorum*. patres, patribus. visus, visibus. dies, dierũ. Si casus obliqui plurales habent æquales syllabas cum nominatiuo plurali, nullum habent incrementum in numero plurali, ut musæ, musis, musas. *Domini*, *Dominis*, *Dominos*. Si ex obliquis pluralibus alii habeat

æquales syllabas cum nominativo plurali; alii habeant plures, tunc casus habentes syllabas æquales non habent incrementum plurale. Casus verò habentes plures syllabas habent incrementum in numero plurali.

Incrementum plurale consistit in penultima syllaba, & quincuplex est, aliud in A, ut terræ, terrarum; aliud in E, ut dies dierum; aliud in I, ut patres, patribus; aliud in O, ut Cœli, Cœlorum; aliud demum in U, ut lacus, lacubus: de his omnibus tractatur per duas regulas.

Omnia nomina, cujuscumque declinationis sint, habentia incrementum plurale in A, *E*, & *O*, illud habent longum, ut musæ, musarum. dies, dierũ:

Domini, Dominorum, in quibus, & similibus penultima consistens in A, in E, & in O, longa est.

Omnia nomina, cujuscunque declinationis sint, habentia incrementum plurale in I, aut *V*, illud habent breve; ut patres, patribus: corpora, corporibus: lacus, lacubus: specus, specubus, in quibus penultima consistens in I, & V brevis est. *Excipitur* tamen bubus pro bobus, ubi V in penultima est longa.

Versus pro his Regulis.

Plurali casus si crescit, protrahet A, E;
Atque O; corripies I, U; verùm Excipe bubus,

DE
REGVLIS
PERTINENTIBVS
Ad Incrementa Verborum.

HActenus actum est de incrementis nominum; nūc agere incipimus de incrementis Verborum, quibus completis, progrediemur ad ultimas syllabas.

Incrementum in Verbis cujuscumque conjugationis habetur, quotiescunque personæ utriusque numeri, in quocumque Modo, & tempore crescunt in syllabis plusquam secunda persona singularis Modi indicativi præsentis; sin autem syllabæ sint æquales, nullum incre-

crementum habetur in Verbis; unde amat, amant, amem, ames, amet, ament, nullum incrementum important, quia cùm secunda persona Modi indicativi presentis, qualis est Amas, habēt æquales syllabas; è contra amamus, amatis, amabam, amabas, amabat, amabamus, amabatis, amabāt, amavimus, amaverunt amavere, & sic deinceps, habēt incrementum, quia crescunt in syllabis plusquàm secunda persona Modi indicativi presentis, uti est *Amas*. Jncrementum consistit in cœteris syllabis, nunquam in ultima.

Jncrementum in *Verbis* multiplex est, aliud in A, aliud in E, aliud in I, aliud in O, aliud in *V*, ut volunt hujus Artis Authores: Eadem persona potest habere unum, vel plura in-

incrementa ejusdem, vel diversæ speciei: primum in penultima syllaba, secundum in antepenultima, tertium in syllaba antecedenter ad penultimam, quartum in syllaba remotiori; Quamobrem amabam habet unum incrementum, quia habet unam syllabam plusquam *Amas*, consistit in penultima, & est incrementum in A. Amabamus habet duo incrementa, *quia* habet duas syllabas plusquàm *Amas*, alterum consistit in penultima, alterum in antepenultima, & utrumque est in A. Amaveramus habet tria incrementa, quia habet tres syllabas plusquam Amas: primum consistit in penultima, & est in A: secundum consistit in antepenultima, & est in E; tertium est in syllaba antecedenter ad

antepenultimam, & est etiam in A: idem observa in cæteris.

Secunda persona singularis Modi indicativi presentis est Index, Regula, & Mensura Incrementorũ in omnibus, & quibuscumq; verbis per excessum, defectum, aut æqualitatem syllabarum; ubi tamen excessus, ibi incrementum. In verbis Activis, & Neutris facilè est nosse incrementa; in passiuis, communibus, deponentibus, & impersonalibus difficiliùs; nam in verbis Activis, & neutris secunda persona Modi indicatiui presentis est regula incrementorum, ut Doces, docemus, docetis, docebam, docebamus; Aras, aramus, aratis, arabam, arabamus, in verbis passivis secunda persona verbi Activi est regula incrementorum, ut Amas, amaris, ama-

amatur,amabar. Doces,doceris, docetur, docemur, docemini, In verbis communibus, depo. nentibus, & imperſonalibus fingitur ſecunda perſona Modi indicativi præſentis tamquam activa pro cognoſcendis incre. mentis,ut Depopulas,depopula. ris, depopulare, depopulatur, depopulabar: Auxilias, auxilia. ris,auxiliare,auxi iatur,auxilia mur,auxiliabor: Tonas tonabat, tonabit, tonaret, tonare, atque idem ſpeculaberis ulteriùs.

Agemus igitur primò de incrementis in *A*,& *E*,ſecundò de incrementis in I, O,& V, nam diſtinguere eſt clariùs veritatem, & naturam rerum attin. gere, ut docent omnes ij, qui bonis literis præditi ſunt, & exculti.

DE INCREMENTIS UERBO RVM IN A, ET E.

Regulæ duæ.

OMnia verba habentia incrementum in A, illud habent longum, siue sit primũ in penultima; ut *Aras*, aramus, arabam, arabo, siue sit secundũ in antepenultima, ut *Aras*, araveram, araveras, araverat, siue sit tertium in syllaba antecedẽter ad antepenultimam, ut *Amas*, amaverimus, amaveritis, siue sit quartum in syllaba remotiori.

Excipitur ex hac regula *Do*, das; nam vel habet unum incrementum in A, uel habet duo incremẽta in A, vel habet duo incrementa, primum in A, & secũdũ in E, *I*, aut *O*. Si habet unum incrementum in A, illud habet

bre-

breve, ut DAS, damus, datis, dabã, dabas, dabat, dabant, dabo, dabis, dabit, dabunt, darem, dares, daret, darent, dare, in quibus prima syllaba brevis est: *Si* habet duo incrementa in A, primum est breve, secundum longum, ut DAS, dabamus, dabatis, in quibus prima syllaba est brevis, secunda longa; si habet duo incrementa, primum in A, secundum in E, I, aut *O*, tunc incrementum in A etiam est breve, ut DAS, daremus, daretis; dabimus, dabitis, datote; in quibus prima syllaba in A est brevis: de secunda in E, I, & O dicemus infra.

Omnia verba habentia incrementum in E, illud habent longum, ut DAS, demus, detis, daremus, daretis; DOCES, docemus, docetis, docebam, docebo.

Le-

Legis,legebam,legebas, legebat, legemus,& sic in reliquis,in qui bus penultima syllaba longa est, quia incrementum in E.

Excipiuntur primò duo prima tempora verborum tertiæ conjugationis, primò præsens indicativi passivi in secũda persona singulari,ut le'geris, vel le'gere:spe'rneris,vel spe'rnere,in quibus penultima est brevis, licèt eadem sit longa in futuro passivo, ut lege'ris,vel legére; spernéris,vel spernére;secundò imperfectum Modi Optativi, & Conjunctivi *Activi*,ut legerem, legeres,legeret,legerent:sperne-rem,sperneres, sperneret, sper-nerent,in quibus penultima est brevis,exceptis prima,& secunda persona plurali ejusdem Modi,ut legeremus,legeretis; sperneremus,sperneretis, in quibus

an-

antepenultima est brevis, penultima est longa ex regula incrementorum in E.

Excipiuntur secundò verba desinentia in reris, vel rere, in Optativo, & Coniunctivo passivo, Communi, & Deponenti, ut amareris, vel amarere: depopulareris, vel depopularere: auxiliareris, vel auxiliarere, in quibus penultima longa est per exceptionem.

Excipiuntur tertiò omnia verba desinentia in ram, rim, & ro, ut amaveram, amaveras, amaverat, amaveramus, amaveratis, amaverant, amaverim, amaveris, amaverit, amavero, amaveris, amaverit, amaverimus, amaveritis amaverint, in quibus incrementum in E est breve, sive sit penultima, sive antepenultima.

Ex-

Excipiuntur quartò omnia verba desinentia in beris, & bere in futuro Indicativi, ut amaberis, vel amabere: doceberis, vel docebere; depopulaberis, vel depopulabere; auxiliaberis, vel auxiliabere, in quibus penultima brevis est, quamvis sit incrementum in E.

Excipiuntur ultimò hæc duo præterita, & fortasse alia, steterunt, & dederunt, in quibus penultima est longa apud Oratores, apud Pòetas communis, & anceps, modò brevis, modò longa.

Versus pro his Regulis.

A crescens produc, Do incremento excipe primo:
E *quoque producunt verba increscentia: verùm*

Car-

Corripiunt E *ante* R *Ternæ duo tempora prima;*
Sed reris , vel rere datur penultima longis:
Sit brevis E, *quando ram, rim, ro adjuncta sequentur,*
Et beris , atque bere in verbis breviato futuris,
Corripit interdum stéterunt, déderuntque Poëta.

DE INCREMENTIS VERBORUM IN *I, O,* & V.

*R*EGULÆ *T*RES.

OMnia verba habentia incrementum in I, illud habent breve, ut Legis, legimus, legitis; *A*mas, amavimus, amabimus, in quibus penultima brevis est, quia incrementum in I.

Excipiuntur primò omnia præ-

præterita in ivi,ut audiui,cupiui,petiui,obediui, in quibus, & similibus penultima longa est.

Excipiuntur secundò omnia Verba desinentia in imus; nam in præterito,cuiuscumq; conjugationis sint, habent penultimam breuem, ut amauimus, docuimus,legimus,audiuimus, in præsenti Indicatiui, si sint tertiæ conjugationis, habent penultimam breuem, ut legimus, currimus, occidimus, si sint quartæ coniugationis, habent penultimam longam, ut audimus, obedimus, seruimus, sicuti uelimus, nolimus, simus cum compositis, ut adsimus, obsimus,absimus, desimus habent penultimam longam.

Excipiuntur quartò omnia urba quartæ coniugationis

fini-

habentia primum incrementum in *I*, ut Audimus, sentimus, obedimus; auditis, sentitis, obeditis, in quibus incrementum *I* per exceptionem est longum; si verba quartæ conjugationis habeant primum, & secundum incrementum in *I*, sive activa, sive passiva sint, ut Audivimus, obediuimus, audimini, exaudimini, & sic de cæteris; tunc primum *I* est longum, secundum breve.

Omnia verba habentia incrementum in *O*, illud habent longum, ut Amatote, docetote, legitote; auditote;

Incrementum in U est breve, ut Volumus, nolumus, possumus adsumus.

Versus pro his Regulis.

Corripit I crescens verbum; producitur Ivi

Præteritum; sed Imus breviatur; deme velimus,
Nolimus, Simus, quæque hinc composita dabuntur;
Et quodvis quartæ incrementũ I pro trabe primum;
Ri conjunctivi possunt variare Poëtæ;
O incrementum produc, U corripe semper.



DE

DE REGVLIS PERTINENTIBVS

Ad ultimas syllabas.

POst varios fluctus, atque pluriũ Regularum diversitatẽ, nostri IngenioliNavis devenit ad ultimas syllabas quam ad finem, & metam Artis, tãquam Metricam appellamus, undè tanquã è portu, vix projectis Anchoris, iterum vela faciemus, Artem Poëticam inchoaturi, ut ultimam manum huic Opusculo, Deo dante, imponamus, atque extremam lineam, ut ita dicam, eidem laudabiliter præfigamus.

Ultimæ syllabæ sunt in multiplici specie; aliæ sunt in *A*; aliæ in *E*; aliæ in *I*,& *Y*; aliæ in *O*; aliæ in *U*,*B*,*D*,*T*; aliæ in *C*, *L*,*M*; aliæ in *N*; aliæ in R; aliæ in *AS*; aliæ in *IS*,& *YS*; aliæ in *OS*; aliæ in *US*; de omnibus singillatim præcepta dabimus.

DE ULTIMIS SYLLABIS desinentibus in A

REGULA PRIMA.

OMnes dictiones, quæcumque sint, desinentes in *A*, habent *A* longum in fine, ut Contrà, ultrà, frustrà, ama, memora, commemora, accusa, appella, increpa, obsecra, in quibus, & similibus *A* longum est in fine.

Excipiuntur primò Ità, Posteà, Eia, & Quia, in quibus *A* bre-

breve est in fine.

Excipiuntur secundò omnia nomina desinentia in *A* in suis casibus singularibus, aut pluralibus, ut Musa, domina, terra, aula, bella, astra, carmina, sidera, pòèma, stemma, epigramma, in quibus *A* breviatur in fine; ablativus tamen singularis nominum primæ declinationis habet *A* longum in fine, ut pòèta, terra, anima, advena, in quibus, & similibus nominativus, & vocativus singularis habet *A* breve; ablativus, seu sextus casus habet *A* longum apud *Pòètas*.

Excipiuntur tertiò omnia nomina græca primæ declinationis desinentia in *AS* in nominativo singulari, in vocativo verò in *A*, ut Æneas, ò Ænea; Pallas, ò *Palla*; Atlas, ò Atla

Thomas, ò Thoma; Lucas, ò Luca; Matthias, ô Matthia; Pythagoras, ò Pythagora, in quibus *A* longum est in fine per exceptionem.

Versus pro hac Regula.

A finita dato longis; Ità, postea deme,
Ejà, Quia, & casus omnes, sed protrahe sextum;
Productis græcos casus adjunge vocandi.

DE ULTIMIS SYLLABIS desinentibus in E.
REGULA SECUNDA.

OMnes dictiones desinentes in E, habent E breve in fine, ut occide, aufuge, sperne, despice, curre, litore, carmine, li-

limine, Pallade, stemmate, morte, in quibus E in fine est breve.

Excipiuntur primò nomina græca masculina primæ declinationis Latinorũ desinẽtia in ES in nominativo singulari cũ vocativo in E, ut *Anchisiades*, ò *Anchisiade*; Pelides, ò Pelide; *Æacides*, ò *Æacide*; *Achilliades*, ò *Achiliade*, & fæminina desinẽtia in E in nominativo, & vocativo singulari, ut Calliope, ò Calliope; Uranie, ò Uranie; *Parthenope*, ò *Parthenope*; *Grammatice*, ò *Grammatice*; Rhetorice, ò Rhethorice, in quibus, & aliis E longum est in fine.

Excipiuntur secundò omnia nomina quinctæ declinationis desinentia in ablativo singulari in E, ut Re, spe, die, meridie, fide, in quibus *E* longum est in fine; idem dicas de compositis ab his,

utquare,hodie,poſtridie,in quibus E etiam eſt longum in fine, quia compoſita ſequūtur quātitatem ſuorum ſimplicium ex dictis ſuperiùs.

Excipiuntur tertiò Fame,Cete,Tempe,fermè,& ferè, in quibus E etiam longum eſt in fine.

Excipiuntur quartò omnia verba ſecundæ conjugationis deſinentia in E in ſecunda perſona ſingulari modi Imperativi, ut ſtude, fave, mone, habe, vide,in quibus E longum eſt in fine: id intelligas de verbis activis, & neutris; non autem de paſſivis, ut docere, monere, habere; nam hæc habent E breve in fine.

Excipiuntur quinctò omnia monoſyllaba in E, ut me,te,ſe, in quibus *E* longum eſt in fine. *E*nclytica tamen, & ſyllabica bre,

brevia sunt, licèt monosyllaba in E, ut sce, pte, que, ue in his dictionibus hisce, suapte, armaque armaue, in quibus *E* breve est in fine: Ne, vel est particula interrogativa, ut Tune facis tantum facinus? & *E* est breve; vel est particula prohibitiva, ut Ne fugias patriæ confinia, & *E* longum est in fine.

*E*xcipiuntur sextò omnia aduerbia desinentia in *E*, & nata ab adjectiuis secũdæ declinationis, ut doctè à doctus, docta, doctum; indoctè ab indoctus, indocta, indoctum; placidè à placidus placida, placidum; lentè a lentus, lenta, lentum minimè a minimus, minima, minimum: optimè ab optimus, optima, optimum; in quibus, & similibus *E* longum est in fine: benè tamen à bonus, bona, bonum: & malè a

malus, mala, malum habent E breue in fine.

Versus pro hac Regula.

Corripe E; sed primæ, quinctæque vocabula produc,
Atque Fame, Cete, Tempe, Fermèque, Ferèque;
Adde Doce, similemque modum, & monosyllaba; præter
Enclyticas, ac syllabicas: necnon, malè dempto,
Ac benè, produces Adverbia cunctæ secundæ.

Vbi nota quòd caue, supernè, & infernè apud Authores reperiuntur cum *E* breue: licèt caue sit imperativum à caueo secundæ coniugationis: & supernè, & infernè sint aduerbia nata ex adjectiuis secundæ declinationis secundùm docrinam *Aluari.*

DE

DE ULTIMIS SYLLABIS
Desinentibus in I, & Y
REGULA TERTIA.

OMnes dictiones desinentes in I, illud habent longũ in fine, ut felici, infelici, classi; patri, matri, fratri, sorori, nepti, nepoti, amari, fieri, legi, in quibus, & similibus I longum est in fine. Imperatiuum I monosyllabum à verbo eo etiam est longum.

*E*xcipiuntur primò Nisi, & quasi, in quibus *I* breue est in fine.

Excipiũtur secundò omnia nomina quinctæ declinationis Græcorum, & tertiæ Latinorum in datiuo singulari, ut *Palladi, Minoidi, Amaryllidi, Cloridi, Phylli*di, Daphnidi, in quibus, & similibus I breue est in fine: idẽ dicas in

uocatiuo singulari, ut Daphni, *Pieri*, *Amarylli*, Moly, Tethy, in quibus *I*, & *Y* breue est in fine.

Excipiuntur tertiò mihi, tibi, & sibi, in quibus *I* commune est, modò breue, modò longum apud Poëtas.

*E*xcipiuntur quartò ibi, & ubi, in quibus *I* breue est in fine: composita tamen ubique, & ibique habent penultimam longam, ut diximus supra in præcepto de priori parte terminante in composito.

Excipitur ultimò cui: nam uel est monosyllabum, & habet *I* longum: uel est dissyllabum, et habet I meliùs breue, quam longum.

Versus pro hac Regula.

I produc; brevia Nisi cum quasi, græcaque quinctæ,
Iure mihi variare, tibique, sibique

que solemus:
Corripies Ibi, Ubi: melius dissila-
bon & cui.

Hic Alvarus docet i in Vbi esse breue, et illud facit longum in suo uersu.

DE ULTIMIS SYLLABIS desinentibus in O

REGULA QUARTA.

OMnes dictiones terminantes in O, habent O ambiguũ varium, & commune in fine, modò breve, modò longum, ut amo, eo, curro, sedeo, quando, vigilando, redeundo, ambulando, in quibus, & similibus *O* commune est in fine.

Excipiuntur primò nomina græca desinentia in o, ut Dido, Erato, Alecto, Clio; in quibus o est *Omega*, seu o magnum, longum apud græcos.

*E*xcipiuntur secundò mono-

syl-

syllaba in o,ut do,sto,no,o',quæ omnia longa sunt.

Excipiuntur tertiò ergo, nam vel est adverbium, & habet o commune; vel est nomen significans causam, & habet o longum in fine.

Excipiuntur quartò omnes dativi,& ablativi singulares nominum secundæ declinationis desinentes in o; ut domino, famulo, Deo magistro, Androgeo, Atho, Melibęo, in quibus o longum est in fine.

Excipiuntur quinctò ideò,& adeò,in quibus o etiam est longum in fine.

Excipiuntur sextò omnia adverbia nata ex adjectivis secundæ declinationis,ut sedulò à sedulus,sedula,sedulum, subitò à subitus,subita,subitum,meritô á meritus,merita,meritum,crebro

brò à creber, crebra, crebrum: mutuò à mutuus, mutua, mutuum, in quibus o longum est, licèt de quibusdam sit lis apud poëtas. Cito, scio, nescio, imo, & duo habent o breve in fine: Modo vel est dativus, & ablativus singularis à nomine modus, modi, & habet o longum, vel est adverbium, seu conjunctio, & habet o breve.

Excipiuntur septimò; sero, & vero; nam vel sunt dativi, & ablativi singulares ab adjectivis serus, sera, serum; verus, vera, verum, & habent o longum, vel serò est adverbium, & verò cõjunctio & habent o commune modò breve, modò longum in metro,

Versus pro hac Regula.

O datur ambiguis, græca, & monosyllaba præter,

Ergo

Ergo pro causa, ternus, sextusque secunda,
Atque adeò, atque ideò, atque adverbia nomine nata,
Sed citò corripies, modoque, scio, nescio, & imo,
Et duo sit varium serò, & conjunctio verò.

DE ULTIMIS SYLLABIS DESINENTIBUS IN U, B, D, T.

Regula quincta.

Omnes dictiones desinentes in V habent *V* longum in fine, sive sint nomina latina, sive græca, ut manu, cornu, visu, Orpheu, Theseu, Panthu, in quibus, & similibus *V* in fine longum est apud Poètas.

Omnes dictiones desinentes in B, D, T, habent B, D, T, breve in

in fine, ut Aminadab, Achab, David, ab, ad, ſed, audit, amat, legit, in quibus B. D. T. breviatur in fine.

Verſus pro hac Regula.

U ſemper produc; B, D, T, corripe ſemper.

DE ULTIMIS SYLLABIS DESINENTIBUS IN C, L, & M.

Regula Sexta.

OMnes dictiones deſinentes in C, illud habent longũ, ut produc, duc, introduc, hoc, ſic, in quibus C longum eſt in fine.

Excipitur primò hic, nam uel eſt adverbium locale, & habet c longum, vel eſt pronomẽ; & habet C commune in fine.

Excipiuntur ſecundò donec, & nec, in quibus c breve eſt,

fac

sac habet c longum , meliùs tamen breve apud Pòëtas.

*O*mnes dictiones desinentes in *L*, habent *L* breve, ut Consul, Proconsul, *V*igil, pugil, in quibus *L* breve est in fine.

*E*xcipiuntur sal, & sol, in quibus L longum est: nil habet l longum, nihil habet l breve, quia non semper composita retinent quantitatem simplicium sicuti multa nomina hebræa, ut Michàël, Raphàël, Salathiel, Nabal, Daniel, Saul, habent l longum in fine: Baal, & Michol corripiuntur quandoque in fine, videas prosodìam, & usũ.

Omnes dictiones desinentes in M apud Antiquos habent M breve; apud *R*ecentiores Poetas, vel post M sequitur consonas, vel sequitur vocalis, aut diphthongus: si sequitur consonans

M lon-

M longum est positione etiam in diversis dictionibus; si sequitur vocalis, aut diphtongus M absorbetur, eliditur, & voratur simul cum vocali antecedenti per figuram Ecthypsim, de qua infra agemus.

Versus pro hac Regula.

C longum est: varium hic pronomen; corripe d anec,
Et nec fac pariter malunt breviare Poëtæ:
Corripe l, at produc sal, sol, nil, multaque Hebræa
M vorat Ecthlypsis, prisci breviare solebant.

DE ULTIMIS SYLLABIS DESINENTIBUS IN N.

Regula Septima.

OMnes dictiones desinentes in N, habent N longum, sive sint græcæ, sive latinæ,

næ, ut ſin, Titan, Siren, ſindon, Actæon, *Orion*, *Æ*gon,in quibus, & ſimilibus N longum eſt:*En* particula demonſtrativa etiam eſt longa.

*E*xcipiuntur primò omnia nomina tertiæ declinationis deſinentia in en in nominativo cum genitivo ſingulari in inis breve,ut carmen,carminis;fulmen, fulminis: flumen, fluminis,in quibus, & aliis N breve eſt in nominativo.

Excipiuntur ſecundò omnia nomina primæ, & ſecundæ declinationis græcorum, primæ autem latinorum, deſinentia in N in Accuſativo ſingulari, ut *Æ*nean, Anchiſen, Alciden, Calliopen, Rhetoricen, Grãmaticen, in quibus N breve eſt in fine, ſicuti omnia nomiua tertiæ græcorum deſinentia in accuſativo ſin-

ſingulari in N à nominativo brevi in *OS*, ut *S*corpion a Scorpios: Tytion a Tytios: Carolon a Carolos habent N breve; ſic etiam omnia nomina græca deſinentia in on, & reducibilia ad ſecundam latinorum habent N breve, ut *I*lion, ilium, quibus adduntur etiam nomina quinctæ declinationis græcorũ deſiſinentia in on in genitivo plurali, ut epigrammaton pro epigrammatum, grammaton pro grammatum, ſtemmaton pro ſtemmatum, in quibus N breve eſt in fine.

Excipiuntur ultimò forſitan, in, forſan tamen, an, viden, in quibus N breviatur in fine.

Verſus pro has Regula.

N longum eſt Græcis pariter, pariterque Latinis:

En brevia, quod format inis breve

ve, græca secundæ
Jungimus, & quartum, si sit brevis ultima recti:
Forsitan, in, forsan, tamen, an, viden, adiice curtis.

DE ULTIMIS SYLLABIS IN R.

Regula Octava.

OMnes dictiones desinētes in R habent R breue in fine, ut *Hector*, vir, semivir, Amilcar, amatur, legitur, statur, curritur, murmur, turtur, marmor, in quibus R breviatur in fine.

Excipiuntur primò far, farris. & par, paris cum compositis; ut impar, compar, dispar, in quibus R longum est in fine.

*E*xcipiuntur secundò lar, laris, nar, naris, cur, & fur, furis, in quibus R longum est fine.

EX.

*E*xcipiuntur tertiò nomina græca desinentia in er cum genitivo in eris, ut Crater, crateris luther, lutheris, in quibus *R* longum est in fine.

Excipitur quartò Jber, iberi, seu iberis, in quo R longum est. Cor habet R longum, meliùs breve: Celtiber, celtiberis habet *R* in fine commune, & varium, modò breue, modò longum.

Versus pro hac Regula.

R breve, sed longum est far, par cum pignore, lar, Nar,
Cur, fur, cum græcis, quibus est genitivus in eris:
Addito Iber, sed Cor meliùs breve, Celtiber anceps.

DE VLTIMIS STLLABIS DESINENTIBVS IN AS.

Regula Nona.

OMnes dictiones desinentes in As habētA S longum, siue sint

fintgræcæ,siue latinæ,ut Æneas, Thomas,Lucas,Pythagoras,fas nefas,amas,legas,curras,in qui bus As longum est in fine.

Excipiuntur primò nomina tertiæ declinationis desinentia in As in accusatiuo multitudinis, seu plurali , ut Delphinas; Troas,Heroas.Platonas,Ciceronas,Dæmonas,Rhecoras,in quibus,& similibus As breue est in fine.

Excipiũtur secũdò omnia nomina græcorũ tertiæ etiã declinationis desinentia in nominatiuo,seu recto singulari in *AS*, cum patrio,seu genitiuo singulari terminante in Adis habente incrementum breue,ut *Arcas*, arcadis,Ilias,iliados,*T*roas,troados,in quibus, et similibus *AS* breue est in recto singulari : si nomina græcorum tertiæ decli-

clinationis desinant in *As* cum genitivo in *Antis*, tunc *As* longum est in recto, ut Abas, Abantis; Atlas, *Atlantis*; *Athamas*, *Athamantis*, in quibus *As* longũ est in nominativo. Ex quibus sequitur quòd Pallas Palladis habet *As* breve; *Pallas*, *Pallantis* habet As longum.

Versus pro hac Regula.

As produc; quartum Græcorum Tertia casum
Corripit, & rectum si in Adis breve patrius exit.

DE VLTIMIS SYLLABIS DESINENTIBVS IN ES.

Regula Decima.

OMnes dictiones desinentes in *Es*, sive apud Latinos, sive apud *Græcos*, habent Es lõgum, ut Alcides, Anchises, Pelides, Consules, Reges, Ames, facies,

cies, properes, in quibus Es elongatur in fine.

Excipiuntur primò omnia nomina tertiæ declinationis desinentia apud Latinos in Es in recto cum genitivo habente incrementum breve, ut Dives, divitis; Eques, equitis; hospes, hospitis; pedes, peditis, in quibus Es breve est in nominativo: Pes, pedis; Paries, parietis; Abies, abietis; Aries, arietis; & Ceres, Cereris habēt Es longum in recto, licèt incrementum in genitivo sit breve.

Excipitur secundò Es de sum cum compositis, ut potes, dees, præes, obes ades; & penès adverbium, in quibus Es breve est.

Excipiuntur tertiò omnia nomina græca tertiæ declinationis desinentia in nominativo,

vo, accusativo, & vocativo plurali in *Es*, ut Rhetores, *Dæmones*, Arcades, Troades, Amazones, Teutones, in quibus Es breve est.

Versus pro hac Regula.

Es quoque produces; breviat sed
Tertia rectum,
Cùm patrii brevis est crescens
penultima; pes hinc
Excipitur, paries, aries, abiesque, Ceresque:
Corripe & Es de Sum, penès, &
pluralia græca.

DE ULTIMIS SYLLABIS desinentibus in IS, & YS.

Regula Undecima.

OMnes dictiones desinentes in IS, aut YS corripiuntur in fine, ut Itys, Tethys, Tiphys, legis, curris, occidis, spernis, mes-

metis, metuis, in quibus Is, & Ys breve est in fine.

Excipiuntur primò casus plurales, scilicet dativus, & ablativus pluralis, ut Armis, arvis, astris, Musis, Dominis, terris, in quibus Is longum est apud Poëtas.

Excipiuntur secundò Glis, gliris; & Sis á sum cũ compositis, ut adsis, præsis, desis, absis, obsis, prosis, in quibus Is longum est.

Excipiuntur tertiò Vis, sive nomen, sive verbum; Nolis, & velis, in quibus Is longum est.

Excipiuntur quartò omnia verba quartæ conjugationis in secunda persona singulari Modi indicativi præsentis, ut Audis, obedis, servis, sentis, in quibus, & similibus Is longum est in fine.

Ex-

Excipiuntur quinctò omnia nomina tertiæ declinationis desinentia in *Is* cum genitivo singulari in Inis, *E*ntis, aut Itis, habente incrementum longum, ut Salamis, Salaminis; Simois, Simoentis; Samnis, Samnitis, in quibus Is longum est in nominativo.

Versus pro hac Regula.

Corripias Is, & Ys; plurales excipe casus;
Glis, sis, vis verbum, ac nomen; nolisque, velisque,
Audis cum sociis; quorum & genitivus in Inis,
Entisue, aut Itis longum, producito semper.

DE ULTIMIS SYLLABIS *desinentibus in OS.*
Regula Duodecima.

OMnes dictiones desinentes in OS habent *OS* longũ, sive sint ex Græcis, sive sint ex Latinis; ut *Heros*, Athos, Androgeos, *T*ros, Mos, Dos, Cos, *D*ominos, Servos, bonos, malos, honestos, in quibus, & similibus dictionibus os longum est in fine.

Excipiuntur primò *C*ompos, & Impos, in quibus os breviatur in fine.

Excipitur secundò os, ossis, namque habet os breve; sicuti os, oris habet os longum.

Excipiuntur tertiò omnia nomina greça neutra, ut Argos, Chaos, Melos, in quibus, & aliis os breve est in fine.

Ex.

Excipiuntur quartò omnia nomina tertiæ declinationis *Græcorum* reducibilia ad secũdam declinationem *Latinorum*; ut *Tyros*, Arctos, *Tytios*, Ilios, in quibus, & similibus os breve est in fine, quia hæc, & similia nomina græca reducuntur ad secundam declinationem *Latinorum*; apud Latinos enim dicitur *Tyrus*, Tyri; Arctus Arcti; Tytius, Titij; *Ilius*, Ilij, nomen adiectivum; nam Ilion est substantivum, & dicitur Ilium, Ilij.

Excipiuntur quinctò omnia nomina græca habentia genitivum singularem, seu primi numeri in os, ut Pallas, Pallados; *Arcas*, *Arcados*; *Tethys*, Tethyos; *Typhys*, *Typheos*; Phyllis, Phyllidos; *Cloris*, *Cloridos*, in quibus, atque aliis sexcentis

dictionibus grecis os breve est in fine.

Versus pro hac Regula.

Vult Os produci; Compos breuiatur, & Impos;
Osque,os, is; Græcorum& neutra, & cuncta secundæ
Addicta Ausonidum, græcus genitiuus & Omnis.

DE ULTIMIS SYLLABIS *desinentibus in US* Regula XIII. & ultima.

OMnes dictiones terminantes in *US*, habent *US* breve, ut Deus, litus, funus, corpus, fœnus, Dominus, servus, meus, tuus, suus, in quibus Us breve est in fine.

Excipiuntur primò monosyllaba desinentia in Us, ut thus, mus, rus, plus, in quibus Us longum est. Ex-

Excipiuntur secundò omnia nomina tertiæ declinationis desinentia in Us cum genitivo singulari habente incrementum longum, ut *Tellus*, telluris: salus, salutis: palus, paludis; in quibus, & aliis *U*s longum est in nominativo; si nomina tertiæ declinationis desinant in Us, & habeant genitiuum singularem cum incremento brevi, tunc *V*s breve est in nominativo; cum contrariorum contrariæ sint proprietates, ut intercus, intercutis: pecus, pecudis: ligus, liguris, in quibus, & aliis Us breviatur in nominativo; atque idem dicas de vocativo; quia vocativus sequitur quantitatem *Recti*, præcipuè in tertia declinatione, cum habeant eandem terminationem. *V*nde si rectus habet *V*s longum, vo-

candi casus habet etiam Vs longum ; si *Rectus* habet Us breve, etiam vocandi casus habet *Vs*. breve.

Excipiuntur tertiò nomina quartæ declinationis desinentia in Us in utroque numero, ut manus, visus, domus, motus, sensus, in quibus, & similibus nominibus *Us* longum est in omnibus casibus utriusque numeri, excepto nominativo, & vocativo singulari, in quibus *Us* breve est; nec non dativo, & ablativo plurali, ut manibus, visibus domibus, motibus, sensibus, in quibus Us in fine corripitur.

Excipiuntur quartò omnia nomina tertiæ declinationis desinentia in *Us* cum genitivo in untis, ut Opus, opuntis; *Amathus*, amathuntis, in quibus

Us

Us longum eſt in *Recto*, & in quincto caſu.

Excipiuntur ſext[illegible] nomina græca deſinentia in *E*us, contractis *E*, & *V*s in unam, eamdemque ſyllabam, ut Ilioneus, Tydeus, *T*heſeus, *O*rpheus, Vlyſſeus, *A*chilleus, in quibus, & ſimilibus longum eſt *U*s in recto: ſicuti excipiuntur nomina græca deſinentia in *O* cum genitivo in *O*os, & per contractionem in *V*s, ut Manto, Mantoos, vel *M*antus; Dido, Didoos, vel Didus: *A*lecto, *A*lectoos, vel *A*lectus; *C*lio, *C*lioos, vel Clius, in quibus *V*s longum eſt in patrio, ſeu in genitivo. Nomina græca deſinenti[illegible] in*O*s non contracta, & deſinentia in *V*s per reductionem ad ſecundam Latinorum habent *V*s breve, ut Pamphagos græcè, Pamphagus

latinè; Polypos græcè, Polypus latinè, habent *V*s breve.

Denique excipitur Nomen illud venerabile, & semper adorabile, Jesus; in nomine Jesu omne genuflectatur cœlestium terrestrium, & infernorum, in quo *V*s longum est in fine, quia venit ex nomine græco Ἰησοῦς desinente in diphthongum longum.

Versus pro hac Regula.

Vs breve ponatur: produc monosyllaba, quæque
Casibus increscunt longis, & nomina quartæ,
Excepto Recto, & quinto, & quibus exit in Untis,
Patrius, & conflata è Pus, contractaque græca
In recto, & patrio, & venerādum Nomen Jesus.

JE-

*J*ESUS Alpha, & Omega rerum omnium noſtros tenues, & *j*uveniles labores terminat, nec id immeritò fortaſſe evénit, benigniſſime mi *Lector*; à *J*ESU omnia recepi, ad *J*ESUM omnia redière, nempe à Patribus Societatis, tamquam primo fonte omnia adoleſcens ebibi, ſive in primæ claſſis *Gymnaſio*, ſive in humaniorum literarum Academia, ſive in Parthenio quà Philoſophiæ, quà Theologiæ Lycæo; quamobrem par erat, ut meum hoc exiguum Rudimentum *J*ESUM præſeferret in fine, ut *J*ESU non oblitus, ad *J*ESUM quidquid boni edidi, referrem. Putare noſſe à ſe quod ſapimus, ſuperbia eſt; putare noſſe ab aliis, quod docemus, humilitas eſt, quæ tanquam *Regina* Virtutum majora paulatim ma

nifeſtabit ulteriùs. Vive felix, ut quæ ſequantur, attentiore animo evolvas.

*A*ddidiſſem hic titulum de *D*ictionibus Irregularibus longis, brevibus, & communibus ex natura, uſu, & exemplis Scriptorum, non ex regulis ſuperiùs expoſitis; ſed hæc videre potes pro nunc in Proſodia, vel Synonimo; nam in altera *E*ditione, quod prætereo, addam, *D*eo adjuvante, & auſpice.



DE



DE ARTE POETICA

LIBER SECUNDUS.



IN primo libro hujus Opusculi actum est de Prosodia, seu de Arte metrica pro quantitate, & temporibus syllabarum, additis versibus Alvari pro singulis præce-

ceptis, & Regulis, ut majorem authoritatem ex tanto *Viro* reciperent, ac præferrent; nec deerat nostris Musis extemporaneis aliqua aptitudo ad novos excudendos. *Recentia* curiositatem excitant, pretij minus habent. Antiquiora in pretio quidem sunt, fastidium tamen quandoque progenerant, nisi sint apprimè exculta, & nobilitèr expolita. Nunc verô in hoc secundo ejusdem Opusculi libro agere incipimus de Arte Poetica pro efformatione metrorum in quocumque genere, additis omnibus iis, quæ pertinent vel ad *Ornamentum*, vel ad *Gratiam*, & *Venustatem* eorundem; primò igitur sermo erit de Æthymologia, Natura, *Divisione*, & Qualitatibus Pöèseos; secūdò de Pedibus in quacun-

cunque ſpecie; tertiò de Metro in quocunq; genere; quartò de *M*etro dactylico; quinctô de Metro *H*endecaſyllabo; ſextò de Metro *I*ambico; ſeptimò de Metro Trochaico; octavò de cæteris ſpeciebus *M*etrorum; nonò de Penthemimeri, & *H*ephthemimeri; decimò de *S*yllaba cõmuni; undecimò de Cæſura; duodecimò de *N*eceſſitate metrica, & de *L*icentia pöetica; decimotertiò de Tropis; decimoquartò de Figuris *G*rammaticorum; decimoquinctò de Figuris *D*imenſionis; decimoſextò de Figuris *P*oetarum; decimoſeptimò de Figuris Oratorum; decimooctavò de *A*ffectionibus *A*nimì; decimononò de Patronymicis; vigeſimò de Vocibus novis, *I*nuſitatis, Æquivocis, & græcolatinis; vigeſimo pri-

primò de *Phrasibus* poeticis; vigesimosecundò, & ultimò de Epithetis, & Synonimis. Sit igitur, Deo *Duce*.

De Æthymologia, Natura; Divisione, & qualitatibus Pòèseos.

CAPUT I.

POèsis apud Latinos, Ποίησις apud Græcos, significat fictionem: nomen accepit à verbo græco Ποιητέω, quod fingere repræsentat, ut docent ii, qui bonis literis adornantur: Poesis enim *Fabulis*, & fictionibus utitur ad formandum quodcumque opus, quod elaborat: imò quò lepidior in falso, eò ingeniosior existimatur in opere. *Poemata* in *Fabularum* venu-

state

ſtate, Hiſtoriæ in eventuum veritate inniti debent, ut placeant. Poetæ *Pictoribus* aſſimilātur ab *Horatio* in ſua Poetica utriſque quodlibet licet: quò mens eſt acutior in exprimendis rerum imaginibus, etiam ad inſaniam, eò *Ars* cenſetur admirabilior in promerendis encomijs, etiam ad immortalitatem. *Pictoribus*, atque Poetis quodlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Poeſis eſt *Ars*, ſeu doctrina componendi *Metrum* in quocunque genere fundata in *Fabulis*, & *Allegoriis*. *Dicitur Ars*, quia numeratur inter ſeptem *Artes* liberales, quæ ſunt *Grammatica*, *Rhetorica*, *Poeſis*, *Arithmetica*, *Muſica*, *Geometria*, & *Aſtrologia*; inſuper ſicuti *Artes* ab imperfectis paulatim

tim progrediuntur ad perfe-ctiora, ita Poesis á rudibus incipit, & deinde in admirabilia, excellentia, & quasi divina laudabiliter desinit, quod fit labore, & ingenio: præceptis, & exercitationibus: studio, & assidua addiscentis industria; nisi dicere velimus, quòd sicuti Ars est finita de infinitis, ità Poesis dat finita præcepta pro infinitis metrorum compositionibus, quæ fiunt, & fieri possunt ab eo, qui Poeséos vestigia eruditè sectatur: Dicitur Do-ctrina componendi metrum in quocunque genere, quia Poesis tanquam Magistra, atque insignis Præceptrix edocet Regulas, & suggerit Normas, quibus mediis quodcunque metrum, & quodcunque Poema efficere, aut componere possumus, vel

ad

ad captandos plausus in publicis *Academiis*; vel ad æternandum nomen in excultis *Musa*rum paginis, aut voluminibus: *Dicitur* fundata in Fabulis, & *Allegoriis*, quia *Poesis* ficta describit, & sub fictis vera documenta latescunt pro Virtutibus fovendis, aut pro vitiis eliminandis; unum sub alio intelligit, ut reprehendat facinora, & parcat facinorosis.

Poesis duplex est, altera *Naturalis*, *Artificialis* altera: *Poesis* naturalis est vis, seu *Virtus* quædam componendi metra nobis insita à *Natura* sine *Regulis*, & sine præceptis: *Poesis* artificialis est vis, seu virtus quædam componendi metra nobis insita ab *Arte* cum Regulis simul, & præceptis. Poesis naturalis communis est omnibus

bus hominibus, etiam Paſtoribus, *A*gricolis, & Bubulcis, qui ad alleviandam duritiem laborum in incomptas, & venuſtas cantilenas frequentiſſimè erũpunt: Poeſis artificialis eſt propria *V*irorum illuſtrium, qui vel à *M*agiſtris, vel ab *A*uthoribus Poeſim ebiberunt in libris.

*M*ateria Poeſeos ſunt res omnes, ſive ſacræ, ſive profanæ; ſive humanæ, ſive divinæ; ſive pertinentes ad Politicam, Oeconomicam, *M*ilitiam, & *A*griculturam; ſive pertinentes ad aliud; quoniam Poetæ de rebus omnibus poſſunt formare longum carmen, & prolixũ volumen.

Forma Poeſeos eſt *M*odus dicendi quod velit in hac, vel illa ſpecie metrorum cum optima

ma Inventione, perfecta Dispositione, & eleganti Elocutione eorum, quæ audienda, aut legenda proponimus.

Officium Poeseos est delectare, & prodesse: delectare Fabulis, seu fabulosis Inventionibus, & prodesse salubribus sententiis, seu laudabilibus consiliis: quoniam ad eam spectat Fabula, & Allegoria; Fabula jocatur, et ridet: Allegoria verò commonet, et docet, ut honestatem virtutis sectemur, et vitii deformitatem effugiamus.

Finis Poeseos est virtus, atque morum honestas, eo fine scribit, ut scelerum turpitudinē ab eventibus revelet, et sanctarum virtutum pulchritudinē ab effectibus manifestet: ex quibus patefactis quis ex malo quandoque fit bonus, et bonus

pe-

pedetentim melior fit, aut optimus: nec Poesi, sed Poetæ attribuendum est potiùs, cùm obscœna insinuantur, vel inhonesta persuadentur carminibus: Quidquid contra mores componimus, igne prudentiùs, quàm publica Solis luce fruatur oportet, ac decet. Pictores ex oculis, Poetæ ex auribus *In*nocentiam *A*nimarum quàm sæpe prostituunt, sed væ ipsis, cùm laudes exposcunt, gehennam reperiunt.

Apollo Poësim invenit secūdùm *Gentiles*, unde Poeseos Numen, *P*ater, et *A*uthor communiter nuncupatur: posteà illam illustrarunt et Græci, et Latini, atque insignes Hetrusci, quorum volumina admiramur in privatis, vel publicis Bibliothecis. Quis non obstupescit

ſcit *F*acundiam Pindari, *I*ngenium Anacreontis, & Eruditionem Homeri? Quis non encomiat Maronem, aut *H*oratiũ? Quis non celebrat Naſonem, aut Martialem? Quis non plaudit Lucanum, Claudianum, aut Lucretium? Quis non decantat *T*orquatum, Marinum, & cæteram *P*oetarum familiam ita eruditam, ità excultam, ita concinnam, atque elegantem in metro, ut famem habeas, nedum deſiderium legendi Opera, quæ tranſmiſerunt ad Poſteros tam quam ingenii immortales Tibicines, & Sapientiæ immorituras Reliquias?

Miranda quidem eſt *P*oeſeos *V*is, atque ejuſdem activa potentia; Orpheus cantu, & Lyra Rupes rigentes attraxit; feras immanes manſuefecit; *A*quas

decurrentes continuit; Aves volantes immobiles reddidit. Amphion metro, & Fidibus Thebanos muros construxit. Arion cythara fretus Delphinas equitavit per medios pelagi fluctus, ut latronum manus evaderet, & tutus fieret à latrociniis, si Fabellis fides fortassè præstanda est: Mirabilior tamen est gloria, qua potiti sunt Poetæ apud Imperatores, apud Reges, apud Principes, apud Romanos Pontifices; de qua fileam necessum est, cùm satis loquantur Antiquorum volumina, Artificum simulachra, Pictorum imagines, & reliqua Sculptorum monumẽta, in quibus post mortem immortalis est Fama, & sempiternum est nomen, nescium corrodi ab Ævo, quod furtim corrodit omnia.

De

De Pedibus in quacunque ſpecie

CAPUT II.

Metra, quæ efformanda docet Poeſis, ex pedibus conſtant: unde hic de Pedibus agimus, tractaturi deinde de Metro.

Pes eſt pars Metri certo numero, atque ordine ſyllabarum definita ſecundùm Profeſſores hujus Artis; partes Metri dicũtur pedes, quia metrum à principio per medium progreditur tandem ad ultimum: Non quæcunque pars metri dicitur pes, ſed ea dumtaxat, quæ habet certum numerum, atque definitum ordinem ſyllabarum; Pedes ſunt in triplici genere, alij dicuntur Diſſyllabi, alij

Trisyllabi, alij denique Quadrisyllabi: de singulis ordinatim agendum.

De Pedibus Dissyllabis.

PEdes Dissyllabi, seu Bissyllabi sunt illi, qui ex duabus syllabis constant: *hujusmodi* pedes sunt quatuor, Spondæus, *Pyrrichius*, Choræus, seu Trochæus, & *Jambus*.

Spondæus pes est constans ex duabus syllabis, quæ ambæ longæ sunt, ut currunt, certant, arvis, astris, pugnas, iras.

Pyrrichius pes est constans ex duabus syllabis, quæ ambæ breves sunt, ut labor, dolor, furor, amor, agit, juvat.

Choræus, seu Trochæus pes est constans ex duabus syllabis, quarum prior est longa, posterior

rior brevis, ut Arma, Castra, arva, miles, obstat, fortis.

Jambus pes est constans ex duabus syllabis, quarum prior est brevis, posterior longa, ut Amas, Deos, precans, bonos, faces, feres. Unde opponuntur inter se Spondæus, & Pyrrichius; Jambus, et Choræus, ut apparet ex syllabarum quantitate.

De Pedibus Trisyllabis.

PEdes trisyllabi sunt illi, qui ex tribus syllabis constãt. hujusmodi pedes octo sunt, Molossus, Tribrachys, Dactylus, Anapæstus, Bacchius, Antibacchius, Creticus, et Amphibrachys.

Molossus pes est constans ex tribus syllabis, quæ omnes lon-

gæ ſunt, ut Męcenas, decertant, gaudentes, luctantes, ſpernebant, commiſcent.

*T*ribrachys pes eſt conſtans ex tribus ſyllabis, quæ omnes breves ſunt, ut Atavus, *D*ominus, pavidus, metuit, ſolidus, viride.

*D*actylus pes eſt conſtans ex tribus ſyllabis, quarum prima eſt longa, duæ ſequentes breves, ut Regibus, pulvere, fervidus, nobilis, tollere, condidit.

Anapæſtus pes eſt conſtans ex tribus ſyllabis, quarum ultima eſt longa, duæ antecedentes breves, ut tumidos, pavidos, veteres, ſolidos; Equites; fluvios.

Bacchius pes eſt conſtans ex tribus ſyllabis, quarum prima eſt brevis, duæ ſequentes longæ, ut dolores, tumores, calores,

res, monebunt, docebas, legebant.

Antibacchius pes eſt conſtãs ex tribus ſyllabis, quarum duæ primæ ſunt longæ, ultima brevis, ut audiſſe, legiſſe, candore, lecturus, contritus, perplexus.

Creticus, ſeu Amphimacer pes eſt conſtans ex tribus ſyllabis, quarum media eſt brevis, duæ collaterales longæ, ut fervidos, nobiles, frigidos, protegunt, divites, milites.

Amphibrachys, ſeu Scholius pes eſt conſtans ex tribus ſyllabis, quarum media eſt longa, duæ collaterales breves, ut fluemus, nepote, juventa, petente, probante, retortus; unde opponũtur Moloſſus, & Tribrachys; Dactylus, & *A*napæſtus; Bacchius, & *A*ntebacchius; Creticus, & *A*mphibrachys, ut de-

 mon-

monſtrat ſyllabarum diverſitas,et Oppoſitio.

De Pedibus quadriſyllabis.

PEdes quadriſyllabi ſunt illi, qui ex quatuor ſyllabis cō-ſtant ; hujuſmodi pedes ſunt ſexdecim:Diſpondæus, Proceleuſmaticus,*D*ichoræus,Dijambus, Choriambus , *A*ntipæſtus, Ionicus à majore,*I*onicus à minore , *P*æon primus , *P*æon ſecundus , Pæon tertius , *P*æon quartus , Epitritus primus , *E*pitritus ſecūdus , Epitritus tertius, Epitritus quartus .

*D*iſpondæus pes eſt conſtans ex duobus Spondæis , nempe ex quatuor ſyllabis , quæ omnes longæ ſunt, ut Defenſores , Oratores, oppugnabant,conſpexerunt, ſpectatores, admirātes.

Pro-

Proceleusmaticus pes est cō-stans ex duobus Pyrrichijs, nempe ex quatuor syllabis, quæ omnes breves sunt, ut pariete, abiete, retuleris, rebiberat, redierat.

*D*ichoræus pes est constans ex duobus Choræis, nempe ex quatuor syllabis, quarum prima, & tertia est longa; secunda, & quarta est brevis, ut militabis, admonebis, computatur, ebibisse, attulisse.

Dijambus pes est constans ex duobus Iambis, nempe ex quatuor syllabis, quarum prima, & tertia est brevis; secunda, & quarta est longa, ut capesseres, quiesceres propinquitas, retexeres, poëticos.

Choriambus pes est constans ex Choræo, & Iambo, nempe ex quatuor syllabis, quarum duæ

mediæ ſunt breves, duæ collaterales longæ, ut divitias, delicias, nobilitas, inſidias, alliceres.

Antipæſtus, ſeu Antipaſtus pes eſt conſtans ex Iambo, & Choræo, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum duæ mediæ ſunt longæ, duæ collaterales breves, ut remiſiſſe, recuſabat, amaremus, revolvebat, amaviſſe.

Ionicus à maiore pes eſt conſtans ex Spondæo, et Pyrrichio, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum duæ primæ ſunt longæ, duę poſtremæ breves, ut fulgoribus, dimittere, maturior, componere, divinitùs.

Ionicus à minore pes eſt cõſtans ex Pyrrichio, & Spondęo, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum duę primę ſunt breves,

ves, duę poſtremæ longæ, ut fugiendos, metuendos, rebibiſſes, retuliſſes, retinendos.

Pęon primus pes eſt conſtãs ex Choręo, & *Pyrrichio*, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum prima eſt longa, cœteræ breves, ut fulminibus, divitibus, nobilibus, temporibus, militibus.

Pęon ſecundus pes eſt conſtans ex Iambo, & *Pyrrichio*, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum ſecunda eſt longa, cœteræ breves, ut amaveris, remiſeris, relegeris, docebimus, potentia.

Pęon tertius pes eſt conſtans ex *Pyrrichio*, & Choræo, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum tertia eſt longa, cœteræ breves: ut moriemur, habeamus, videamus, legitote, fugiendus.

*P*æon quartus pes eſt conſtãs ex Pyrrichio, & *I*ambo, nempe ex quatuor ſyllabis ; quarum quarta eſt longa, cœteræ breves, ut retulerant, rebiberant, calamitas, aviditas, miſerias.

Epitritus primus pes eſt conſtans ex Iambo, & Spõdæo, nempé ex quatuor ſyllabis, quarum prima eſt brevis, cœteræ longæ, ut redundarent, repentinos, amatores, Senatores, *A*ratores.

Epitritus ſecundus pes eſt conſtans ex *C*horæo, & Spondæo, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum ſecunda eſt brevis, cœteræ longæ, ut conſulares, conditores, condoleres, commoneres, audierunt.

Epitritus tertius pes eſt conſtans ex Spondæo, & Iambo, nempe ex quatuor ſyllabis, quarum tertia eſt brevis, cœteræ

lon-

longæ, ut exaudies, impervios, discordię, intelliges, defendeces.

*E*pitritus quartus pes est cõstans ex Spondæo, & Choræo, nempe ex quatuor syllabis, quarum ultima est brevis, cœteræ longę, ut defensurus, expugnatus, percurremus, fortunatus, infelice, immaturus. Unde opponuntur inter se *D*ispondæus, & Proceleusmaticus; *D*ichoræus, & *D*ijambus; *C*horiambus, & Antipæstus; Ionicus à maiore, & *J*onicus à minore; Pęon primus, & Epitritus primus; Pæon secundus, & Epitritus secundus; Pæon tertius, & Epitritus tertius; Pęon quartus, & Epitritus quartus, ut importat syllabarum tempus, & quantitas.

*E*x hiscę pedibus sexcenti cõpo-

poni possunt per mutuam commixtionem, itaut alij sint ex quinque, alij ex sex, alij ex septem, alij ex pluribus syllabis: *U*sus tamen se continet intrà præpositos, & explicatos: nosse pedes non solùm ad *P*òëtas pro *M*etro, sed etiam ad Oratores pro Periodo bénè efformanda pertinet, ut docent *A*uthores, & nos fortassè docebimus in *A*rte *R*hetorica.

Pedes enim *C*antilenam, & Numerum benè cadentem præstât cuique sermoni, sive ligato, sive soluto; in ligato faciunt Metrum, in soluto faciunt Concinnitatem, quæ plausus suos meret in *A*cademiis, in *C*olloquijs, in *T*heatris, in Voluminibus, & Codicibus, quos relinquimus, ut vivant etiam post effrigescentes cineres in sepul-

hcro

chro; Loqui cõmune est à natura omnibus hominibus, eloqui paucis datum est ab Arte.

De Metro in quocumque genere.

CAPVT III.

METrum ita dicitur à metiendo, quia illud metimur per pedes plures, aut pauciores. Metrum dicitur etiam *V*ersus, & Carmen. Versus à vertendo, quia finito uno metro, vertimus oculos, & sermonem ad alium subsequentem, & posterius fluentem. Carmen dicitur à canendo, quia per Poëmata, Odas, & Hymnos ex metris contextos vel *H*eroas, vel Reges, vel Principes, vel *D*uces, vel *D*eos canimus, laudamus, & en-

encomiamus; eorum Virtutes, gesta, & facinora egregia egregio stylo enarrando mortalibus ad immortalē Reminiscētiā.

Metrum non est aliud, nisi Oratio certo genere, numero, atque ordine pedum alligata, seu præscripta ab Authoribus: pedes excedere, aut à pedibus deficere error est in Pòësi; & sicuti corpus claudicat ex defectu, vel excessu pedum corporaliũ, ita ab excessu, vel defectu pedũ in Metro claudicat pariformiter Pòëma apud Pòëtas.

Metrum multiplex est, aliud Dactylicum, aliud Hendecasyllabum, aliud Jambicum, aliud Trochaicum; nomine desumpto vel à pedibus, vel à numero pedum ex quibus Metrum cõponitur, aut compositum est. De singulis generibus præcepta præscribimus.

De

De Metro Dactylico.

CAP. IV.

METrum *Dactylicum* ita dicitur à Dactylo, ex quo fit; Metrum *Dactylicum* tamquam *Genus* habet sub se diversas species subiectas, nempe Exametrum, Pentametrum, *Adonium*, *Hymeniacum*, *Archilochium*, Glyconium, Pherecratium, Alcmanicum, Phaliscum, Alcaicum, & *Asclepiadæum*: singulorum notio danda est breviter, remota farragine Exemplorum, ne nimiùm pinguescat *Volumen*.

De Exametro.

EXametrum ita dicitur quasi Μετρὸν ἕξ, hoc est metrum ex sex; constat enim ex sex pedibus, neque pluribus,

ne-

neque paucioribus: primi quatuor sunt omnes Dactyli, omnes Spondæi, vel mixti ex Dactylis, & Spondæis; Quinctus pes semper est Dactylus; sextus, & ultimus semper est Spōdæus, ut cōstat ex illis versibus Horatii in libro de Arte Poëtica ad Pisones.

Humano capiti cervicem Pictor equinam
Jungere si velit, & varias inducere pennas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè,
Spectatum admissi risum teneatis, Amici?

Pedes in Exametro, sicuti in quolibet metro, debent connecti, colligari, & concathenari inter se ita, ut non sint dissoluti, et veluti distracti : Dictiones

enim

enim debent ita dividi, & recidi in syllabas, ut faciant pedes, alios ex aliis dependentes, & veluti confluentes eo modo, quo in ramo eodem alij ramuli ex alijs, atque alij ex alijs erumpunt, et frondentem comam mirabiliter efficiunt in trunco; quod videtur dilucidè, si præcitati versus scandantur.

*V*bi advertas primò quòd duri, inepti, incompti, et nullius *A*rtis sunt versus, si singulæ eorum dictiones sine ulla colligatione, et intersecatione singulos pedes efficiant, ut videre est in his.

Omnia dulci scribis semper carmina metro.
Prælia narras horrida dictu, pessima Regno.
Prædia scindis vomere duro proxima nostris.

Vulnera monstras plurima miles corpore toto.

Advertas secundò quòd si primi duo pedes nullam colligationem habeant, etiam versus erit ineptus, licèt cœteri pedes sequentes colligentur, et connectantur, ut constat ex his.

Carmina scribis mellifluis repleta Camænis.

Dicis plurima, quæ moveant fastidia menti.

Protegis Vrbem consiliis, armisque vicissim.

Huiusmodi versus etiam insipidi sunt, et sine phaleris Venustatis incompti, quia primi duo pedes dissoluti sunt; quod ex ipso sono satis, superque apparet.

Advertas tertiô quòd si primus, quinctus, et sextus pes sit

dissolutus, reliquis intermediis colligatis, versus venustus, elegans, comptus, et speciosus est, ut constat ex his versibus *Horatii* in *Pòëtica* dispersis.

Undique collatis membris ut turpiter atrum.
Sumite materiam vestris; qui scribitis, æquam.
Dixeris egregiè, notum si callida verbum.
Fervidus an matrona potens, an sedula nutrix.

Hujusmodi versus egregiè sonant, & eleganter excurrunt, quamvis primus pes, quinctus, et sextus sint separati, & dissoluti.

Advertendum est quartò quòd *Exametrum* ineptè terminat, si desinat in monosyllabum, ut sunt illi versus *Horatii* in eadem *Arte* pòëtica.

Quid

Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Semper ad adventum festinat, & ad medias res.

At nostri Proavi Plutinos, & numeros, &

*A*pud *V*irgilium tamen volunt esse Artem, et non ineptiã, cùm finit versum illis verbis: *Præsaga mali mens*; et alibi, *procumbit humi bos*. sed parcunt fortasse *A*uthoritati.

Advertas quintò quòd insulsũ est etiã Exametrũ, si desinat in duo monosyllaba, uti sũt illi versus eiusdem *H*oratii ibidem.

Sed non ut placidis coëant immitia: non ut.

Grammatici certant, & adhuc sub Judice lis est.

Versibus exponi tragicis res Comi-

mi-

mica non vult.

Qum quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ.

Advertas sextò quòd Exametrum etiam displicet eruditis Apollinis auribus, si ante ultimā dictionem habeat *Pyrrichium*, ut constat ex illis aliis versibus ejusdem Authoris in eadem Pòetica.

Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo.
Quærit & inventis miser abstinet, & timet uti.
Quid deceat, quid non; quò Virtus, quò ferat Error.

Versus enim tunc sunt optimi, tunc excellentes, & pla usu digni, cùm ante ultimam dictionem vel habent integrum Dactylum, vel habent dictionē ex quatuor, vel pluribus syllabis, vel habent monosyllabum

cùm

cùm diſſyllabo anteriùs: undè optimè deſinit *Exametrum* primò hoc modo, *tegmine fagi*: ſecundò hoc modo, *mirabile factu*: tertiò hoc modo, *miſerabile fatum*: quartò hoc modo: *irreparabile tempus*; quinctò hoc modo, *primus ab oris*. Sicuti etiam optimè deſinit Exametrum, ſi in fine habeat dictionem triſyllabã cũ quadriſyllabo antecedenter; vel ſi in fine habeat dictionem triſyllabam cũ diſsyllabo antecedenter; vel ſi in fine habeat dictionem triſyllabam cum triiſyllabo antecedenter, ut conſtat ex illis verſibus Virgilii in diverſis locis.

Sylveſtrem tenui Muſam meditaris avena.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Sic fatur lacbrymans, claſſique immittit habenas. *Ad-*

Advertas septimò, quòd in sexto loco quandoque pro spondæo stat dactylus, & Exametrum dicitur dactylicum à Poëtis; quod est sciendum, non imitandum, cùm sit insulsum, atque ineptum; verum est tamen quòd dactylus fit spondæus per figuram, quam appellant Synęresim contrahendo duas syllabas in unam, ut dicemus infrà; pro Exemplo sint illi versus Horatii libro primo, & secundo Sermonum, Satyra secunda, & tertia, & libro primo Epistolarum, Epistola secunda ad Lollium, & Epistola sexta ad Humicium.

Hoc illi rectè, me corporis optima Lynceus.
Sudando pinguem Vitiis Albumque, nec Ostrea.
Effugi, & tamen hæc sceleratus vincula Protheus.
Testa diù, quòd si cessas, aut strenuus anteis.

Advertas octavò*, quòd quandoque Exametrum eſt Hypermetrum, hoc eſt habet ſyllabam ſuperfluentem, & ſuperexcedentem in fine, & id etiam Ineptiæ attribuendum, cùm pariat ingratum Sonum, & diſplicentem Cantilenam; ſalvatur tamen perfectio, & IntegritasExametri per Ethlypſim, vel per Synalephem conſiſtentem in fine Verſus antecedentis, & in principio Verſus ſubſequentis; Nam ſi Exametrum cum ſyllaba ſuperabundanti deſinit in m, tunc m cum vocali antecedenti abſorbetur à Vocali, aut Diphthongo poſita in principio Exametri ſubſequentis: Si verò Exametrum cum ſyllaba ſuperexcedenti deſinit in Vocalem, aut Diphtongum, tunc Vocalis, aut Diphthongus abſorbetur à Vocali vel Diphtongo poſita in principio Verſus

ſus ſequentis, ut videre eſt ex illis Verſibus Virgilii libro ſeptimo Æneidos.

Jamque iter emenſi, turres, ac te-
cta Latinorum
Ardua cernebant Iuvenes, muroſ-
que ſubibant.

Atque ex illis aliis libro ſecundo Georgicorum.

Inſeritur verò ex fœtu Nucis Ar-
butus horrida,
Et ſteriles Platani Malos geſſere
valentes.

Advertas nonò, quòd quandoque in quincto loco pro dactylo ſtat Spondæus, & Exametrum dicitur Spondaicum, idque fit, vel ad majeſtatem, & magnitudinem; vel ad ſtuporem, & admirationem exprimendam, ut volunt Poëtæ. Virgilius ſæpe id fecit; Nos raro, vel numquam hoc facere debemus, quoniam quidquid permitti-

tur insignibus Poëtis, non permittendum est Rudibus, & Tyronibus in Arte Poëtica; Exempla Exametri Spondaici sunt hæc.

Chara Deùm Soboles, magnum Iovis Incrementum.

Constitit, atque Oculis phrygia Agmina Circumspexit.

Advertas decimò, quòd quandoque in quincto loco stat Jambus, & Exametrum dicitur Jambicum, sic est illud Virgilii librò secundo Georgicorum.

Muneribus tibi pampineo gravidus Autumno.

Quandoque in quincto stat Tribrachys, quod scire laudabile est; facere, aut imitari insulsum, & censura dignum: sic est illud Virgilii libro decimo Æneidos.

Grajus Homo infectos linquens profugus Hymenæos.

Advertas undecimò quòd ex solis Exametris fiunt Eglogæ, Georgica,

ca, Poëmata, atque alia genera Compoſitionum, ut videre eſt apud Antiquos, & Recentiores Poëtas, Virgilium, Lucanum, Statium, Silium Italicum, Auſonium, Tibullum, Catullum, & alios; fiunt etiam Epigrammata ex ſolis Exametris, ut videre eſt apud Martialem, & Nos addimus de noſtro hoc Exemplum ad CAROLUM VI Auguſtiſſimum Imperatorem Auſtriacum.

Undique belligeri reſonant metuenda Gradivi
Prælia; per Populos paſſim ſunt FUNERA, & Urbes.
Non eſt qui ſiccos Oculos oſtendat; ut Imber
Emanant lacbrymæ; Mater ſua pignora deflet,
Sponſa Virum; frater fratrem, patruuſque Nepotem;
Hiſpanos Gallis commixtos cernimus ire

 Con-

Contra Teutonicas Acies, Anglosque minaces;
Nec finis Bello, tantis nec Terminus Armis
Ullus erit, nisi Te Nos, CAROLE, ad æthera vectum
Austriacis Aquilis videamus cum Jove summo
Æquatum, superisque parem, Dominumque supremum
Europæ, Italiæque, & tandem totius Orbis:
Ut Patrem, ut Numen Te publica Vota reposcunt;
Si pugnare libet, pugnes; Nos fulmina MARTIS
Ridemus; tutos reddit tua Regia Laurus.

Advertas duodecimò, quòd sub Exametro ponitur Pentametrum, & ex illis alternatim fiunt Elegiæ, Epistolæ, Epitaphia, atque etiam Epigrammata; quandoque

ſub uno Exametro ponuntur plura Pentametra, & fit Carmen, ſeu Epigramma, ſic eſt illud Virgilii.

Hos Ego verſiculos feci, tulit Alter Honores:
Sic vos non vobis nidificatis Aves;
Sic vos non vobis fertis aratra Boves,
Sic vos non vobis mellificatis Apes:
Sic vos non vobis vellera fertis Oves,

Advertas decimo tertiò quòd quandoque ſub Exametro ponitur Alcmanicum Acatalecticum, & ex his ad alternas vices fiunt Odæ, uti videre eſt apud Horatium libro primo CarminumOde VII.ad Humacium Plancum Conſularem.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenem,
Aut Ephe ſum, bimariſve Corinthi Mœnia, vel Baccho Thebas, vel

Apolline Delphas
Insignes, aut Thessala Tempe:
Sunt quibus unum Opus est intactæ Palladis Urbem
Carmine perpetuo celebrare.

Quandoque sub Exametro poni solet Carmen Dactylicum Archilochium, & Odæ etiam alternatim componuntur, ut videre est apud Horatium libro IV. Carminum Ode VII. ad Lucium Manlium Torquatum.

Diffugere Nives, redeunt jam Gramina Campis,
Arboribusque Comæ:
Mutat Terra vices, & decrescentia Ripas
Flumina prætereunt;
Gratia cum Nymphis, geminisque Sororibus audet
Ducere nuda Choros.

Quandoque sub Exametro ponitur Jambicum quaternarium, & fiunt

fiunt pariter Odæ ad mutuas vices; ut videre est apud Horatium libro Epodon Ode illa, in qua queritur Bellis Civilibus non imponi finem.

Altera jam teritur bellis civilibus Ætas;
Suis & ipsa Roma viribus ruit;
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus.

Cætera prætereo, ne supra modum prolixus appaream: In secũdo Opusculo addemus quidquid pro nunc relinquimus; interim tempus est, ut agamus.

De Pentametro.

PEntametrum ita dicitur à voce græca, Πεντὲ, quæ quinque significat apud Latinos, quoniam

niam est metrum constans ex quinque pedibus; quorum primus, & secundus, vel est dactylus, vel Spondæus; tertius semper est Spondæus; quartus, & quinctus, semper est Anapæstus; seu constat usitatiùs ex quatuorpedibus, & duabus cæsuris, quæ junctim constituunt quinctum pedem; primi duo sunt ambo Dactyli, vel Spondæi; vel mixti; post eos sequitur cæsura, seu syllaba longa; deindè necessariò prosequuntur duo Dactyli, ultimò altera cæsura, seu syllaba longa. Cæsura non est aliud nisi syllaba una quasi cæsa, & derelicta ex dictione antecedenti, uti sunt exempla frequentissima apud Ovidium in Elegiis,

Imbre per indignas usque cadente genas.
Non poterat Fati certior esse sui.
Grandia si parvis assimilare licet.

Car-

Carminibus vives Tempus in omne
meis.

Advertendum est primò, quòd Pentametrum pro sua speciositate non debet habere pedes, & Cæsuras dissolutas, quià malam armoniam, & sonum efficit, ut patet ex his.

Carmina dulcia sunt; Carmina florida sunt.
Carmina dicere vis; Carmina plurima scis.

Advertendum est secundò, quòd Cæsura non debet desumi ex dictione sequenti, sed ex antecedenti; Ex antecedenti metrum est optimum, uti vides in his.

Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.
Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.
Obrutus insanis esset Adulter aquis.
Nec mihi lassaret pendula tela manus.

Ex subsequenti metrum est insipidum, & quasi languidum, uti videre est in his.

Ex fato se defendere non potuit.
Jam tibi vitam concedere nemo potest.
Tu me versus componere sæpe doces.

Advertendum est tertiò, quòd non displicet Pentametrum, si desinat cum duobus monosyllabis dissolutis, uti videre est in his.

Cætera deficiant; Gloria sola sat est.
Jam tibi belligero in pectore grande Cor est.

Advertendum est quartò, quòd Pentametrum optimè desinit, si desinat in Choriambum, uti constat ex his.

O quantum subitis casibus Ingenium!
Divitiis polles, Robore, Consiliis.
Scilicet hic duo sunt, Exul, & Exilium.

Advertendum eſt quinctò, quòd ex Exametro, & Pentametro fiunt Diſticha, quæ optima reputantur, ſi uterque verſus abſolvatur quatuor ſolis dictionibus, uti eſt illud.

Conturbabantur Conſtantinopolitani
Innumerabilibus ſollicitudinibus.

Advertendum eſt ſextò, quòd ſi Exametrum retrogradiendo fiat Pentametrum, & Pentametrum, fiat Exametrum, Diſtichon eſt admirabile, uti eſt illud.

Sacrum pingue dabo, non macrum Sacrificabo;
Sacrificabo macrum, non dabo pingue ſacrum.

Advertendum eſt ſeptimò quòd Diſtichon eſt lepidum, & laudabile ſi omnes dictiones incipiant ab eadem vocali, ſic eſt illud ad Victoriam puellulam.

Vir-

Virtuti ut vivas, vitium, Victoria, vita;
Ut vincas Venerem, vina, virumque veto.

Advertendum est octavò, quòd Distichon etiam est laudabile, si omnes dictiones incipiant ab eadem consonanti, sic est illud.

Carmina composui cunctis charissima Cycnis;
Castalides Cœtus carmina compta colunt.

Advertendum est nonò, quòd Distichon est argutum, & ingeniosum, si contineat Auxesim, & Hyperbolem, sic est illud supra Domum Ludovici XIV. Regis Gallorum.

Par Domus est Urbi, Urbs Orbi; sed neutra triumphis
Et Belli, & Pacis par, Ludovice, tuis.

Advertendum est decimo, quòd Di-

Distichon comptum, & bene formatum dicitur, si con tineat similiter Cadens, similiter Desinens, & Isocolon, uti est illud de Virgilio.

Pastor, Arator, Eques, pavi, colui, superavi.
Capras, Rus, Hostes, Fronde, ligone, manu.

Advertendum est undecimò; quòd Distichon laudatur, si contineat Comparationem, sic est illud de Cæsare Augusto.

Nocte pluit tota, redeunt spectacula mane;
Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet.

Advertendum est duodecimò; quòd Distichon excitat sibi summos plausus, si contineat Contrarietatem, & sensuum Diversitatem, sic est illud de Austriacis.

Bella gerant alii, tu felix Austria, nube:

Quæ

Quæ dat Mars aliis, dat tibi Regna Venus.

Advertendum eſt decimo tertiò quòd Commutatio verborum etiam facit formoſum, & concinnum Diſtichon, ſic eſt illud de Didone Carthaginis Regina.

Infelix Dido, nulli benè nupta Marito;
Hoc pereunte, fugis; hoc fugiente, peris.

Advertendum eſt decimò quartò, quòd Suſpenſio cum Conjugato etiam dat Diſticho leporem, & argutiam, ſic eſt illud Martialis ad Zoilum.

Mentitur qui te vitioſum, Zoile dicit;
Non vitioſus Homo es, Zoile, ſed vitium.

Advertendum eſt decimò quinctò, quòd Æquivocum, & Æquivocatio etiam dat condimentum, & arti-

artificium Difticho, fic eft illud de Nerone.

Quis neget Æneæ magna de ftirpe
Neronem?
Subftulit hic Matrem, fubftulit
ille Patrem.

De Metro Dactylico Adonio.

Metrum dactylicum Adonium ita dicitur, vel ab Adone Inventore; vel quia eo laudabantur Virtutes Adonis: conftat ex dactylo, & fpondæo, feu choræo, ut conftat ex his.

Carmina feruent:
Sidera fulgent:
Omnia pulvis.
Cætera linquo.
Iura tuebor.
Prava Voluptas.

De

De Metro Dactylico Hymeniaco.

METrum Dactylicum Hymeniacum ita dicitur ab Hymene Inventore: conſtat ex duobus Dactylis, ſeu ex Dactylo, & Cretico, ut patet ex his verſibus.

Horrida prælia
Cernimus urere
Prædia, & Oppida.
Eminùs obſtrepit
Buccina, & Agmina
Excitat omnia.

De Metro Dactylico Archilochio.

METrum Dactylicum Archilochium nomen habet ab Archilocho, qui illud invenit: conſtat ex Semipentametro, ſcilicet ex duobus dactylis, & Cæſura in fine, ut monſtrant hi verſus.

Arboribuſque Comæ.

Flu-

Flumina prætereunt.
Ducere nuda choros.
Omnia lapsa cadunt.
Obruta grandinibus.
Oppida quæque gemunt.

De Metro Dactylico Glyconio.

METrum Dactylicum Glyconium ita dicitur à Glycone, qui illud primò invenit, & excogitavit: constat ex tribus pedibus, quorum primus est Spondæus, secundus, & tertius est dactylus: tertius tamen potest esse Creticus, ut ostendunt sequentes versus.

Nudum remigio latus.
Possint imperiosius.
Sylvæ filia nobilis.
Debes ludibrium, cave.

De Metro Dactylico Pherecratio.

METrum Dactylicum Pherecratium à Pherecrate Poëta nomen, & Originem ſortitum eſt. Conſtat ex tribus pedibus, quorum primus, & tertius eſt Spondæus, vel choræus: ſecundus, ſeu medius eſt dactylus, ut liquet ex his verſibus.

Jam formoſa Juventus
Ex pulchro fugit ore;
Robur, quod fuit ante,
Extinctum jacet, atque
Paulatim calor omnis
Per venas gelat, Ætas
Inſtar labilis undæ
Currit, neve moratur.

De Metro Dactylico Alcmanico.

METrum Dactylicum Alcmanicum ita dicitur ab Alcmano Authore: triplex eſt, aliud Acatalecticum, aliud Catalecticum; aliud

aliud Hypercatalecticum ex approbatis Authoribus.

Metrum Dactylicum Alcmanicum Acatalecticum constat ex quatuor pedibus integris; duo primi pedes sunt ambo dactyli: ambo spondæi, vel mixti; tertius est dactylus; quartus est Spondæus, vel Choræus; pro exemplo habes hos versus Horatii.

Aut Ephesum, bimarisve Corinthi.
Insignes, aut Thessala Tempe.
Carmine perpetuo celebrare.
Plurimus in Junonis honore.

Metrum dactylicum Alcmanicum Catalecticum constat ex quatuor pedibus, syllaba deficiente. in primo loco stat syllaba; in secundo, & tertio stat Dactylus, in quarto stat Spondæus, vel Choræus, ut ostendunt hi sequentes versus.

Jam fluctibus obruit æquor
Quot velivolas Mare naves

Ex-

Excepit; iners jacet ingens
In litore turba virorum.

Metrum Dactylicum Alcmanicum Hypercatalecticum constat ex tribus dactylis, & syllaba in fine, ut apparet ex his versibus.

Vivimus, & tacitè fluimus
Ad tumulum miseri: morimur:
Quis poterit cobibere pedem,
Aut Lachesis properantis iter?
Quemq; manet Necis atra Dies.

De Metro Dactylico Phalisco.

Metrum Dactylicum Phaliscum ita dicitur à Phalisco quodam insigni Poëta, qui illud invenit: constat ex tribus Dactylis, & Spondæo, vel Choræo in fine, ut vides in his versibus.

Lydia moribus inclyta fulget;
Insidet aurea gratia vultu;
Vulnera Cordibus inserit; atque
Gau-

Gaudia miſcet amabilis ore.

De Metro Dactylico Alcaico.

Metrum Dactylicum Alcaicum ita appellatur ab Alcæo Poëta græco Inventore: duplex eſt; primum dicitur Meshypercatalecticum; ſecundum Dactylotrochaicum.

Metrum Dactylicum Alcaicum Meshypercatalecticum conſtat ex quatuor pedibus, & Cæſura: in primo loco ſtat Spondæus, vel Jambus; in ſecundo Jambus; in tertio Cæſura; in quarto Dactylus; in quinto Dactylus, vel Creticus, ut patet ex illis verſibus apud Horatium.

Vides ut alta ſtet nive candidum.
Soracte, nec jam ſubſtineāt nives,
Diſſolve frigus; ligna ſuper foco.
Largè reponens, atque benigniùs.

Per-

Permitte diis cætera, qui simul,
Stravere vētos æquore fervidos.

Metrum Dactylicum Alcaicum Dactylotrochaîcum cōstat ex quatuor pedibus: primi duo sunt ambo dactyli; duo sequentes ambo Trochæi, seu Choræi; quandoque ultimus pro Trochæo est Spondæus, ut constat ex illis versibus apud eundem Horatium.

Sive Mari libet Adriano.
Sic geminant Corybantes æra.
Juppiter ipse ruens tumultu.
Vim stomacho apposuisse nostro.

De Metro Dactilico Asclepiadæo.

MEtrum Dactylicum Asclepiadæum ita dicitur ab Asclepiade Authore, & ejus Inventore. duplex est, alterum Meshypercatalecticum, alterum Catalecticum.

Metrum Dactylicum Asclepiadæum

dæum Meshypercatalecticum constat ex Spondæo, Dactylo, & Syllaba longa, posteà ex duobus Dactylis, ut patet ex illis Versibus apud Horatium.

Mæcenas, Atavis edite Regibus,
O & præsidium, & dulce Decus meum;
Sunt quos Curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaq; feruidis
Evitata Rotis; palmaque nobilis
Terrarum Dominos evehit ad Deos.

Metrum Dactylicum Asclepiadæum Catalecticum constat ex Spondæo, Dactylo, & Syllaba longa; deinde ex dactylo,& Spondæo. in primo tamen loco quandoque stat Dactylus pro Spondæo, ut constat ex illis Versibus apud Boëtium Philosophum, & Poëtam.

Heu quàm præcipiti mersa profundo
Mens hebet, & propria luce relicta,
Tendit in æthereas ire tenèbras!

Metrum Dactylicum Asclepiadæum Meshypercatalecticum secundum alios constat ex Spondæo, duobus Choriambis, & Pyrichio: iidem Versus faciunt Utrumque per diversam Scansionem.

De Metro Hendecasyllabo.

CAPUT. V.

TRactavimus usque adhùc de Metro Dactylico: nunc de Metro Hendecasyllabo breviter agimus. Metrum Hendecasyllabum ita dicitur à Voce græca ἕνδεκα, quæ undecim significat apud Latinos, quia hujusmodi Me-

Metrum ex undecim syllabis constat. Duplex est Metrum Hendecasyllabum, alterum Phaleucium, alterum Sapphicum.

Metrum Hendecasyllabum Phaleucium ita dictum est à Phaleuco, vel Phalecio, qui illud invenit; constat ex Spondæo, Dactylo, & tribus Choræis; quandoque in fine pro Choræo stat Spondæus, ad Exemplum sint illi Versus sub Imagine Martialis.

Hic est, quem legis; ille, quem requiris,
Toto notus in Orbe Martialis
Argutis Epigrammaton libellis;
Cui, Lector studiose, quod dedisti
Viventi Decus, atque sentienti,
Rari post cineres habent Poëtæ.

Metrum Hendecasyllabum Sapphicum constat ex Choræo, Spondæo, Dactylo, & Duobus Choræis; quandoque in ultimo loco

 pro

pro Choræo ſtat Spondæus, ut conſtat ex illis verſibus apud Horatium libro 1. Ode 11., quibus ternis quibuſque addit unum Adonium.

Jam ſatis terris nivis, atque diræ
Grandinis miſit Pater, & rubente
Dextera ſacras iaculatus Arces
Terruit Orbem.

De Metro Jambico.

CAPVT. VI.

Metrum Jambicum ita dicitur à pedibus Jambis, quos admittit: quadruplex eſt, aliud dicitur Monometrum, aliud Dimetrum, aliud Trimetrum, aliud Tetrametrum apud approbatos Authores, & egregios Poëſeos Profeſſores; de ſingulis agendum eſt.

De Metro Jambico Monometro.

Metrum Jambicum Monometum quatruplex est, Acatalecticum, Catalecticum, Brachycatalecticum, & Hypercatalecticum.

Metrum Jambicum Monometrum Acatalecticum constat ex duobus pedibus integris, quorum primus potest esse Spondæus, Choræus, Pyrichius, vel Jambus; secundus est Jambus, vel Pyrichius, pro exemplo sint illi Versus.

Fuge Malum,	*Vita scelus,*
Ama Bonum;	*Crimen cave.*
Cole Deos.	*Crimen fuge.*

Metrum Jambicum Monometrum Catalecticum constat ex Jambo, & syllaba in fine, ut constat ex his Versibus.

Timemus	*Sepulchrum,*
Pavemus,	*quod instat.*

Metrum Jambicum Monometrum Brachycatalecticum constat ex uno pede integro, qui vel est Jambus, vel Spondæus, vel Choræus, vel Pyrichius, ut constat ex his Versibus,

Cave, | *Cole*
Fuge, | *Bonum,*
Vita | *Bonum*
Malum: | *Fove.*

Metrum Jambicum Monometrum, Hypercatalecticum constat ex duobus pedibus, & syllaba superfluente; primus pes est Spondæus, Choræus, Iambus, vel Pyrichius; secundus est Iambus, in fine stat syllaba, vel brevis, vel longa; quoniam ultima syllaba communis est ex bonis Poëtis; pro exemplo sint illi Versus,

Æther nitescit,
Lætusque fulget
Usquam nec umbris

La-

Latet ſub atris;
Spondet proinde
Diem ſerenum;
Spondetque lucem
Nimbis carentem.

De Metro Jambico Dimetro.

Metrum Jambicum Dimetrum quadruplex etiam eſt, aliud Acatalecticum, aliud Catalecticum, aliud Brachycatalecticum aliud Hypercatalecticum.

Metrum Jambicum Dimetrum Acatalecticum eſt illud, quod conſtat ex quatuor pedibus integris; in primo loco ſtat Jambus, vel Spondæus; in ſecundo Iambus; in tertio Iambus, vel Spondæus, in quarto loco Iambus, vel Pyrichius; pro exemplo ſint illi Verſus apud Eccleſiaſticos.

Quem Terra, Pontus, Sidera

Colunt, adorant, prædicant
Trinam regentem Machinam
Clauſtrum Mariæ bajulat.

Quandoque in primo loco ſtat etiam Pyrichius, vel Choræus.

Metrum Jambicum Dimetrum Catalecticum conſtat ex quatuor pedibus,ſyllaba deficiẽte in fine; in primò,&ſecundo loco ſtatSpōdęus, Jambus,Cloræus, vel Pyrichius; in tertio loco ſtat Jambus, in fine ſtat ſyllaba brevis,vel longa,pro exemplo ſint hi Verſus.

Seu Solſurgit in Ortu,
Sive languet in Umbris,
Omnes Fatum timemus,
Nimis Orcum pavemus,
Omnes terret Sepulchrum.

Iambicum Dimetrum Brachycatalecticum conſtat ex tribus pedibus integris, qui poſſunt eſſe mixti ex Spondæis,Choræis, Iambis, & Pyrichiis, ut conſtat ex illis

Ver-

Verſibus in laudem Deiparæ.

Ave Maris Stella,
Dei Mater alma,
Atque ſemper Virgo,
Felix Cœli Porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in Pace
Mutans Evæ nomen.

Metrum Iambicum Dimetrum Hypercatalecticum conſtat ex quatuor pedibus, & ſyllaba in fine; in primo loco ſtat Spondæus; in ſecundo Iambus; in tertio Spondæus; in quarto Iambus; in ultimo loco ſyllaba brevis, vel longa, pro exemplo ſint illi verſus Horatii.

Silvæ laborantes, geluque.
Deprome quadrimum Sabina.
Deprœliantes, nec Cupreſſi.

De Jambico Trimetro.

JAmbicum Trimetrum dicitur alio nomine Senarium apud Poëtas, ſicuti Dimetrum dicitur quaternarium: hujuſmodi metrum quatuor ſpecies habet, nam aliud dicitur Acatalecticum, aliud Hypercatalecticum, aliud Catalecticum, aliud Brachycatalecticum.

Jambicum Trimetrum Acatalecticum eſt illud, quod habet ſex pedes integros: in primo, ſecundo, & tertio loco admittit Spondæum, Iambum, Choræum, vel Pyrichium: in ſecundo, quarto, & ſexto loco admittit ſolum Iambum, pro exemplo ſint illi Verſus Horatii in libro Epodon, ubi ex Iambicis Trimetris Acatalecticis, & Dimetris etiam Acatalecticis ad alternas vices facit plures Odas, & præſertim illam ad Maledicum.

Quid

Quid immerentes hoſpites vexas Canis
Ignavus adverſùm lupos?
Quin hùc inanes, ſi potes, vertis minas,
Et me remorſurum petis?
Nam qualis aut Moloſſus, aut fuluus Lacon,
Amica Vis Paſtoribus,
Agam per altas aure ſublata nives,
Quæcunque præcedat fera.

Hujuſmodi metrum apud Tragicos, præſertim Senecam in ſuis Tragædiis in ſexto loco admittit ſemper Iambum, in locis antecedentibus admittit Spondæum, Choræum, Pyrichium, Dactylum, Anapæſtum, Tribrachym, & alios; pro exemplo ſint illi Verſus ejuſdem in Tragædia prima de Hercule Furente Actu primo, ubi Iuno per Soliloquium ſic conqueritur.

Soror Tonantis, Hoc enim ſolum mihi I 6 Ne-

Nomen relictum est, semper alienum Jovem,
Ac templa summi Vidua deservi Ætheris,
Locumque Cælo pulsa pellicibus dedi.
Tellus colenda est, pellices Cœlum tenent.

Hujusmodi Metrum admittit etiam in sexto loco Spondæum, & tunc dicitur Iambicum Choliambicum, Scazon, seu Claudicans, ut potes videre apud Martialem, qui sæpe sæpiùs utitur hoc Metro ad componenda Epigrammata, de quibus Nos dicemus in altero Opusculo, pro exemplo sint illi Versus.

Pauper est Clytus, & videri vult pauper;
O numquam dives fiat, rogamus Cœlum.
Vt quidquid exoptat, impetret misellus.

Me-

Metrum Iambicum Trimetrum Catalecticum habet ſex pedes, ſyllaba deficiente, pro exemplo ſit Ode illa apud Horatium libro ſecundo Carminum, ubi ex Trochaicis Dimetris Catalecticis, & Jambicis Trimetris Catalecticis alternatim facit longum Carmen.

Non Ebur, neque aureum
Mea renidet in Domo lacunar;
Non trabes Hymettiæ
Premunt Colũnas ultima reciſas
Africa, neque Attali
Ignotus hæres regiam occupavi.

Jambicum Trimetrum Hypercatalecticum conſtat ex ſex pedibus, & ſyllaba in fine ſuper excedente; pro exemplo ſint hi Verſus.

Nequam Quinctillus eſt, hoc dumtaxat refertur.
Nequam Quinctillus eſt, hoc dumtaxat monemus.
Nequam Quinctillus eſt, hoc dumtaxat putetis.

De

JAmbicum Tetrametrum alio nomine dicitur Octonarium; quatruplex eſt, Acatalecticũ, Catalecticum, Brachycatalecticum, & Hypercatalecticum eo modo, quo dictum eſt de Trimetro.

De Metro Trochaico.

CAPUT. VII.

MEtrum Trochaicum ita dicitur à pedibus Trochæis, quos admittit: in quadruplici genere eſt, aliud dicitur Monometrum, aliud Dimetrum, aliud Trimetrum, aliud Tetrametrum; de ſingulis agimus.

De

De Metro Trochaico Monometro.

SIcuti Jambicum Monometrum quadruplex est; aliud Acatalecticum, aliud Catalecticum, aliud Brachycatalecticum, aliud Hypercatalecticum, ita Trochaicum, Monometrum quadruplex est, aliud Acatalecticum, aliud Catalecticum, aliud Brachycatalecticum, aliud Hypercatalecticum.

Metrum Trochaicum Monometrum Acatalecticum habet duos pedes integros, qui sunt ambo Trochæi, vel mixti ex Spondæis, Jambis, & Pyrichiis; pro exemplo sint hi Versus.

Astra pulchra,
Astra clara,
Scintillate,
Fulgurate
Luce semper
Speciosa.

Nec timete,
Nec pavete
Quotquot umbras
Terra vibrat:
Quotquot umbras
Terra jacit.

Metrum Trochaicum Monome-

metrum Catalecticum habet duos pedes, syllaba deficiente, exemplum habes in his Versibus mixtis.

Sidera	*Micate,*
Lucida;	*Fulgete;*
Fulgida	*Radios.*
Sidera	*Vibrate.*

Metrum Trochaicum Monometrum Brachycatalecticum habet unum, & unicum pedem Trochaicum, ut constat ex his Versibus mixtis.

Pelle,	*Quidquid*
Cave,	*Dei*
Fuge,	*Jura*
Vita	*Lædit.*

Metrum Trochaicum Monometrum Hypercatalecticum habet duos pedes, & syllabam in fine superfluentem, ut constat ex his Versibus mixtis.

Cernite solem	*Sereniores*
Fulgurat ore,	*Radios vibrat;*

Lu-

Lumina mittit	*Gaudia gignit*
Radios vibrat	*Fulgurat ore;*
Lucidiores.	*Cernite solem.*

De Metro Trochaico Dimetro.

METrum Trochaicum Dimetrum quadruplex est, aliud Acatalecticum, aliud Catalecticum, aliud Brachycatalecticum, aliud Hypercatalecticum.

Metrum Trochaicum Dimetrum Acatalecticum habet quatuor pedes integros, qui omnes sunt Trochæi, vel mixti ex Spondæis, Jambis, Pyrichiis, & Trochæis, sicuti Metrum Trochaicum Dimetrum Catalecticum habet quatuor pedes, syllaba deficiente in fine; ad Exemplum sit primò Hymnus pro Eucharistia, in quo Trochaici Dimetri Acatalectici, & Versus Trochaici Dimetri Catalectici

ctici ad alternas vices faciunt longam Cantilenam.

Pange lingua gloriosi
Corporis Mysterium;
Sanguinisque pretiosi,
Quem in Mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Secundò pro exemplo sint illi Versus; qui cantantur in Agenda Defunctorum, qui omnes sunt Acatalectici cum Rythmo in fine.

Dies iræ, dies illa
Solvet sæclum in favilla,
Teste David cum Sybilla:
Quantus tremor est futurus,
Qnando Judex est venturus,
Cuncta strictè discussurus!

Metrum Trochaicum Dimetrum Brachycatalecticum habet tres pedes, qui possunt esse omnes Trochæi, vel Mixti ex Trochæis, Spondæis, Jambis, & Pyrichiis, pro exem-

exemplo ſint illi Verſus.

Phœbe, Præſes, Ardor,
Lux, Amorque Vatum;
Dulce cede plectrum,
Lumen adde metris,
Sic tuos libenter
Concinam triumphos.

Metrum Dimetrum Trochaicum Hypercatalecticum habet quatuor pedes, & ſyllabam ſuper excedentem, pro exemplo ſint illi Verſus.

Cave, vita mentis turbines;
Pelle, fuga cordis vulnera;
Semper obſunt enim Palladi.

De Metro Trochaico Trimetro, & Tetrametro.

METRUM Trochaicum Trimetrum, & Tetrametrum quadruplex etiam eſt, Acatalecticum, Catalecticum, Brachycatalecticum, & Hypercatalecticum, ut dictum eſt de Jambico.

De Cæteris Speciebus Metrorum.

CAPUT VIII.

Superest denique ut tractemus de cæteris speciebus metrorum pro complendis iis, quæ spectant ad Naturam, genera, & species eorundem.

Præter metrum Dactylicum, Hendecasyllabum, Jambicum, & Trochaicum datur Metrum Anapæsticum, Choriambicum Callimachium, Choriambicum Tetrametrum, Trochaicum Stesichorium, Jonicum minus, Dactylicum Boëtianum, Choriambicum Phaleucium, & Dactylotrochaicum Eptametrum; de singulis damus regulam.

De Metro Anapæstico.

Metrum Anapæsticum ita dicitur, quia admittit pedes Ana-

Anapæſtos; multiplex eſt, aliud dicitur monometrum, aliud Dimetrum, aliud Trimetrum, aliud Tetrametrum.

De Metro Anapæſtico Monometro.

Metrum Anapæſticum Monometrum duplex eſt, Acatalecticum, & Hypercatalecticum.

Metrum Monometrum Anapæſticum Acatalecticum habet duos pedes Anapæſtos integros, pro exemplo ſint illi Verſus.

Leviore manu.
Graviore rogo.
Specioſa Roſa eſt.

Metrum Anapæſticum Monometrum Hypercatalecticum habet duos pedes Anapæſtos, & ſyllabam ſuperfluentem in fine, pro exemplo ſint hi Verſus.

Roſa Vere rubeſcit.

Manus Igne calescit.
Amor Arte triumphat.

De Metro Anapæstico Dimetro.

METrum Anapæsticum Dimetrum, aliud est Acatalecticum, aliud Catalecticum, aliud Brachycatalecticum, aliud Hypercatalecticum.

Metrum Anapæsticum Dimetrum Acatalecticum habet quatuor pedes integros, qui sunt omnes Anapæsti, vel mixti ex Anapæstis, Dactylis, & Spondæis; vel mixti ex solis Dactylis, & Spondæis, ut videre est apud Senecam in suis argutissimis Tragædiis; pro exemplo sint illi Versus apud eundem Authorem in Tragædia, cujus titulus Troas, ubi Andromacha sic profatur per multos Anapæsticos.

Hùc

Hùc è latebris procede tuis,
Flebile matris furtum miseræ,
Hic puer, hic est terror, Ulysse,
Mille carinis; submitte manus,
Dominique pedes supplice dextrà
Stratus adora, nec turpe puta
Quidquid miseros fortuna jubet,
Pone ex animo Reges Atavos,
Magnique senis jura per omnes
Inclyta terras, excidat Hector.

Metrum Anapæsticum Dimetrum Catalecticum constat ex quatuor Anapæstis, syllaba defficiente, pro exemplo sint hi Versus.

Morimur miseri, morimur semel:
Rigido Genio Lachesis furit:

Metrum Anapæsticum DimetrumBrachycatalecticum est illud, quod habet tres pedes Anapæstos integros pro exemplo sint hi Versus.

Morimur miseri, morimur;
Rigido Genio Lachesis.

Pe-

Perimit Homines, perimit.

Metrum Anapæſticum Dimetrum Hypercatalecticum habet quatuor pedes, & ſyllabam ſuperfluentem in fine, pro exemplo habes hos Verſus.

Roſa murice fulgida, Rore madeſcit,
Roſa lumine vivida, Vere rubeſcit,
Roſa frondibus inclyta, Sole niteſcit

De Metro Anapæſtico Trimetro.

METrum Anapæſticum Trimetrum quadruplex eſt, aliud Acatalecticum, aliud Catalecticum, aliud Brachycatalecticum, aliud Hypercatalecticum; Acatalecticum habet ſex pedes integros: Catalecticum habet ſex pedes, ſyllaba deficiente; Brachycatalecticum habet quinque pedes: Hypercatalecticum habet ſex pedes, & ſyllabam ſuperabundantem.

De

De Metro Anapæſtico Tetrametro.

HOc Metrum etiam eſt in quadruplici ſpecie; Acatalecticum, & habet octo pedes integros: Catalecticum, & habet ſeptem pedes cum ſyllaba; Brachycatalecticum, & habet ſeptem pedes; denique Hypercatalecticum habet octo pedes, & ſyllabam ſuperfluentem in fine, ut videre eſt apud Poëtas Antiquiores, & Recentiores, quorum Exempla prætereo, ne prolixus ſupra modum efficiar.

De Metro Choriambico Callimachio.

METrum Choriambicum Callimachium conſtat ex quinque pedibus: primus eſt Spondæus; tres ſequentes ſunt Choriambi; quinctus eſt Pyrichius, vel Iambus; dicitur Choriambicum, quia pedes Choriambos admittit; dici-

tur Callimachium, quia fortaſſe inventum à Callimacho Poëta Græco; pro Exemplo ſint illi Verſus Horatii libro primo Carminum Ode XI. ad Leuconòèm.

Tu nè quæſieris, ſcire Nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint, Leuconòè; nec Babylonios
Tentaris numeros, ut melius, quidquid erit, pati;
Seu plures Hyemes, ſeu tribuit Juppiter ultimam.

De Metro Choriambico Tetrametro.

Metrum Choriambicum Tetrametrum habet quatuor pedes; in primo loco ſtat Epitritus ſecundus; in ſecundo, & tertio Choriambus, in quarto Bacchius; pro Exemplo ſint illi Verſus Horatii libro primo Carminum Ode VIII.

VIII. ad Lydiam, ubi ex Dactilo-trochaico Dimetro Brachycatalectico, & Choriambico Tetrametro ad alternas vices facit Odem.

Lydia, dic per omnes
Te Deos oro, Sibarim cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum patiens pulveris, atque Solis?
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, Gallia nec lupatis
Temperet ora frænis?

De Metro Trochaico Stesichorio.

Metrum Trochaicum Stesichorium habet sex pedes; primus est Choræus, vel Spondæus; secundus dactylus; tertius Creticus; quartus Choræus; quinctus Dactylus; sextus Choræus, aut Spondæus, pro Exemplo sint

ſequentes Verſus.

Bella per Populos calent mille fæta Ruinis,
Gignunt Perniciem, ferunt damna plurima Regnis;
Spernunt Juſtitiam, nihil ſacra dogmata Juris
Curant: o rigidi Furor ceſſet, Iraque Martis.

Dicitur Throchaicum, quia admittit pedes Trochæos; dicitur Steſichorium, quia inventum à Steſichore claro inter Poëtas græcos.

De Metro Jonico Minore

METrum Jonicum Minus ita dicitur, quia conſtat ex Jonicis à Minore; duplex eſt, alterum Trimetrum Acatalecticum, alterum Tetrametrum Acatalecticum.

Metrum Ionicum Minus Trimetrum Acatalecticum constat ex Tribus Ionicis à Minore integris, quandoque in ultimo loco pro Ionico à Minore stat Pæon tertius, uti est illud apud Horatium.

Miserorum est neque Amori dare ludum.

Metrum Ionicum Minus Tetrametrum Acatalecticum constat ex quatuor Ionicis à Minore; in fine quandoque pro Ionico à Minore stat etiam Pæon tertius, uti est illud,

Simul omnes Tiberinis humeros Quis dedit undis?

De Metro Dactylico Boëtiano.

Metrum Dactylicum Boëtianum habet tres pedes, & syllabam; in primo stat Dactylus; in secundo, & tertio Dactylus, aut Spondæus; in ultimo stat syllaba

 lon-

longa, vel brevis, ut constat ex his Versibus.

Omnia furtim prætereunt;
Quidquid in Orbe videmus, obit:
Vivimus heu miseri, sed Mors
Mox perimet cunctos telo
Lethifero, clavoque premet.

De Metro Choriambico Phaleucio.

Metrum Choriambicum Phaleucium ita dicitur à pedibus Choriambis, quos admittit, & à Phaleuco ejus inventore; habet quatuor pedes; tres primi sunt Choriambi; ultimus est Amphibrachys, ut habes ex his.

Phœbe Pater, Phœbe mei grande
Decus, Nitorque,
Cede Lyram, cede Chelym, Cede Tubam Maronis.

Me-

De Metro Dactylotrochaico Eptametro.

Metrum Dactylotroichum Eptamecrum reducitur ad Genus Dactylicum, dicitur Eptametrum à voce græca Ἑπτὰ, quæ apud Latinos significat ſeptem: dicitur Dactylotrochaicum, quia conſtat ex pedibus partim Dactylis, & partim Trochæis. Habet ſeptem pedes; primi tres ſunt omnes Dactyli, omnes Spondæi, vel mixti ex Dactylis, & Spondæis; quartus eſt ſemper Dactylus, qui fit ex ſyllaba reciſa ab antecedentibus dictionibus, & Pyrichio; tres ultimi ſunt Trochæi; ſeptimus tamen poteſt eſſe Spondæus, & pro Trochæo habetur, quoniam ultima ſyllaba eſt communis in quocumque metro; Exemplum habes apud Horatium libro primo Carminum, Ode IV.,

ad L. Sextium Consularem, ubi ex Eptametris Dactylotrochaicis, & Jambicis Senariis Catalecticis ad alternas vices componit Odem.

Solvitur acris Hyems grata vice
Veris, & Favoni,
Trahuntque siccas machinæ carinas;
Ac neque jam stabulis gaudet pecus, aut arator igne,
Nec prata canis albicant pruinis;

De Pentemimeri, & Ephtemimeri.

CAPUT IX.

Metrum tunc plausus meret, & laudes exposcit, cùm cæsuras habet, & pedum colligationem cùm tali simetria, ut dictiones ex ultimis syllabis priorum, & primis posteriorum componant pedes,

ex quibus Metrum fabricatur, construitur, & tandem absolvitur, quod habetur ex virtute Pentemimeris, & Eptemimeris apud Professores Artis Poëticæ; de utraque proinde sermo est in hoc præsenti Capite nono.

Pentemimeris est vox græca idem ac Semiquinaria apud Latinos, quoniam comprendit medietatem quinque pedum; Πεντὲ enim apud Græcos quinque significat: hujusmodi Cæsura accidit in Metro post duos primos pedes; Quandoque e st Trochaica, quandoque est Dactylica, quandoque est Spondaica; Cæsura Trochaica est ea, quæ habet Trochæum ante se ex dictione antecedenti, & syllabam brevem, cum qua facit Dactylum, uti constat ex illo Virgilii.

At Regina gravi jam dudum saucia cura.

Cæſura Dactylica eſt ea, quæ habet duos pedes ante ſe, quorum ſecundus eſt Dactylus, primus Dactilus, aut Spondæus, ut conſtat ex illis Ovidii.

Parve, nec invideo, ſine me, Liber ibis in Urbem.
Nec te purpureo velent Vaccinia ſucco.

Cæſura Spondaica eſt ea, quæ habet duos pedes ante ſe, quorum ſecundus eſt Spondæus, ut conſtat ex illo ejuſdem Ovidii.

Vivere me dices, ſaluum tamen eſſe negabis.

Eptemimeris etiam eſt vox græca, idem eſt ac Semiſeptenaria, apud Latinos, quoniam Ἑπτὰ apud Græcos ſignificat ſeptem apud Latinos. Hujuſmodi Cæſura quandoque eſt Bucolica, quandoque eſt ſimplex, quandoque eſt Trochaica; Bucolica dicitur quoties habet

Pyrichium post se, cum quo facit dactylū, uti constat ex illo Virgilii.
Namque erit ille mihi semper Deus, illius Aram.

Simplex dicitur quoties habet syllabam longam post se, & cum eadem facit Spondæum, uti constat ex illo apud Ovidium.
Hæc mea sic quondam peragi speraverat Ætas.

Trochaica habet ante se Trochæum, & syllabam brevem, cum qua facit Dactylum, uti constat ex illis Versibus Virgilii in principio Æneidos.
Quidue dolens Regina Deum tot voluere casus
Insignem Pietate Virum, tot adire labores
Impulerit; Tantæne Animis Cœlestibus Ira?

De syllaba communi.

CAPUT X.

SYllaba triplex est, alia longa, alia brevis, alia communis, sive anceps.

Advertendum est primò, quòd Vocalis longa in fine dictionis antecedentis, evadit communis, si sequatur Vocalis, aut Diphthongus in principio dictionis sequentis; & idem dicitur de diphthongo; quod est frequentissimum apud Græcos.

Advertendum est secundò, quòd syllaba brevis in fine metrorum est communis, & idem dicitur de syllaba, si sit longa, & reperiatur in fine cujuscumque metri.

Advertendum est tertio, quòd si Vocalis ex regula brevis in fine dictionis antecedentis præcedat duas consonantes, vel unam ex duplicibus in principio dictionis sequentis, evadit communis. Apud

Græcos frequenter, apud Latinos rarò, uti constat ex illo Virgilii in sua Æneide.

Ferte citi flammas, date tela scandite muros.

De Cæsura.

CAPUT XI.

CÆsura ita dicitur à cædendo, quia est syllaba veluti cæsa ab antecedentibus, & post aliquem pedem remanet sola in metro; cum aliis tamen syllabis subsequentibus integrat sequentem pedem: Cæsura accidit primò in Exametro, secundò in Pentametro, tertiò in cæteris omnibus aliis metris.

Cæsura in Exametro accidit primò post primum pedem; secundò post secundum pedem; tertiò post tertium pedem; quartò post quartum pedem; quinctò post quinctum pedem, ut videre potes apud omnes Poëtas, & præsertim apud Virgilium.

Cæ-

Cæſura in Pentametro accidit primò poſt primum; ſecundò poſt ſecundum; tertiò poſt tertium; quartò poſt quartum pedem, uti videre potes apud Ovidium.

Cæſura in cæteris aliis metris accidit poſt certos pedes, ut videre potes apud Horatium, & alios Poëtas Lyricos.

Cæſura, ſi ſit ſyllaba brevis, evadit communis; nam illa uti poſſumus tamquam brevi ex quantitate, & tamquam longa ex Virtute Cæſuræ.

De Neceſſitate Metrica, & Licentia Poetica.

CAPUT XII.

IN metro quædam contingunt ex Neceſſitate, quæ nominatur Metrica; quædam alia eveniunt ex Licentia, quæ appellatur Poëtica; & eſſent errores, niſi eſſent in Me-

tro;

tro;plura enim conceduntur Poëtis, quæ Oratoribus minimè permittuntur, eo modo, quo eadem Ornamenta laudantur in Mulieribus, & vituperantur in Viris; propterea de utraque tractamus in præsenti Capite.

Necessitas nullis legibus obligatur, quoniam cessat quæcumque Lex, ubi Necessitatis Telo coacti urgemur ad opus contra Legum dictamen, & Legislatoris præscriptum: Ex Necessitate Metrica Poëta cogitur ad non observandas regulas statutas, vel pro syllabarum quantitate, vel pro dictionum formatione; nam quandoque brevem elongat, vel longam abbreviat; quandoque dictionibus aliquid addit, vel aufert ad bonam elaborationem metrorum; nunc enim utitur Sistole, vel Diastole; nunc Prothesi, vel Aphæresi; nunc Syncope

cope, vel Epenthesi; nunc Apocope, vel Paragoge; nunc Synæresi, vel Diæresi; de quibus figuris dicemus infra.

Licentia Poëtica est ea, per quã licet Poëtis ex Arbitrio abuti tempore syllabarum, itaut sine ulla Necessitate ex sola Libertate faciant breve, quod est longum; & faciant longum, quod est breve: *Pictoribus, atque Poëtis quodlibet audendi semper fuit æqua potestas* ex Horatio in Arte Poëtica; quod tamen licuit Antiquioribus, non licet Recentioribus nisi per Imitationem.

Quamobrem Poëtæ ex Necessitate metrica abbreviant penultimam in his dictionibus fulgere, fervere, effulgere, effervere; sicuti elongant primam in his, Italiam, Italus, Priamides, Aonides; secundò ex Necessitate metrica dicunt

Rel-

Relligio, Repperi, Relliquiæ: tertiò ex Necessitate Metrica dicunt Consili, Ingeni, Imperi, Virgili, cum dicendum sit Consilii, Ingenii, Imperii, Virgilii; Quartò ex Necessitate Metrica dicunt scribier, dicier, amarier, cum dicendum sit, scribi, dici, amari, & sic de aliis. Sicuti ex Licētia Poëtica abbreviant penultimam in hís dictionibus, tulerunt, steterunt, protulerunt, cum sit elonganda.

De Tropis.

CAP. XIII.

Tropi sunt in Versu veluti Astra in Firmamento, Gemmæ in Anulis, & Flores, ac Poma in Arboribus; Quoniam et & pretium addunt, & Decus, reddendo mirificum quod aliter essēt commune, & superficiale. Tro-

Tropus ita dicitur à Verbo Græco τρoπέω, quod apud Latinos vertere, & transferre significat, quoniam per Tropos vertimus, & transferimus verborum, ac nominum significationem; quidquid enim convenit uni propriè, attribuitur alteri per improprietatem, & similitudinem, ut Sidera rident: Pubescunt undique Flores; Ex Oculis mœstis fletus pluit; Curis mens æstuat intùs.

Tropi sunt in duplici Genere, Quidam uno verbo fiunt & in uno verbo consistunt; Quidam alii pluribus verbis fiunt, & in pluribus verbis consistunt ex eruditis Scriptoribus; Ideò Nos priùs de Tropis, qui uno verbo; deinde de Tropis, qui pluribus verbis fiunt, tractabimus.

De

De Tropis, qui uno verbo fiunt.

TRopi, qui uno Verbo fiunt, ſeptem ſunt, Metonimia, Metaphora, Synecdoche, Antonomaſia, Onomatopea, Catachreſis, & Metalepſis; de ſingulis ſingulatim danda eſt aliqua Notio.

De Metonimia.

MEtonimia multis modis fit apud Oratores, & Poëtas; unde ad pleniorem intelligentiam addendi ſunt principaliores Modi ordinatim cum exemplis.

Primò fit Metonimia, cum Dii, vel Deæ ponuntur pro Rebus, quarum ſunt Dii, vel Deæ; ſic ponitur Neptunus pro Mari, Dis pro Inferis, Vulcanus pro Igne, Diana pro Venatu, Mars pro Bello, Mercurius pro Eloquentia, Apollo pro

Musis, Venus pro Pulchritudine, Pallas pro Sapientia, Juno pro Regnis, & Divitiis, quia Neptunus est Deus Maris, Dis Deus Inferorum, Vulcanus Deus Ignis, Diana Dea venationum, Mars Deus bellorum, Mercurius Deus Eloquentiæ, Apollo Deus Musarum, Venus Dea Pulchritudinis, Pallas Dea Sapientiæ, & Juno Dea Regnorum, ac Divitiarum, ut constat ex his Versibus.

Neptunus commotus aquis fremit
undique ab æstu.
Evitare cupis Ditem? sis pectore
honestus.
Vulcanus furias auget, crescenti-
bus Euris.
Diligimus toto studio, genioque
Dianam.
Mars agitat populos, & funera su-
scitat armis.
Mercurius blando totus tibi manat
ab ore.

Gra-

Grata tibi Venus eſt, grata eſt mihi provida Pallas;
Temporibus noſtris regnat, Junoque triumphat.

Secundò fit Metonimia, cum Inventor, & Inventrix ponitur pro Re inventa, ſic Bacchus ponitur pro vitibus, vino, & uvis; Ceres pro frumento, pane, & farina, quia Bacchus invenit vites, vinum, & uvas; Ceres invenit frumentum, panem, & farinam, ut videre potes in his Verſibus.

Bacchus, & alma Ceres Mortalibus omnibus adſunt,
Conſervant vitæ vires, augentque vigorem;
Si Bacchus, deſitque Ceres, Venus undique friget,
Gratia langueſcit, moriturque, gemitque Cupido.

Tertiò fit Metonimia, cum Author ponitur pro Re, cujus eſt Au-

thor, ſic Phidia ponitur pro Sculptura, Apelles pro Pictura, Hippocrates pro Medicina, Juſtinianus pro Jure, Virgilius pro Æneide, Seneca pro Tragœdiis, Plautus pro Comœdiis, Homerus pro Iliade, quia Phidia eſt Author Sculpturæ, Appelles Picturæ, Hippocrates Medicinæ, Juſtinianus Juris, Virgilius Æneidos, Seneca Tragœdiarum, Plautus Comœdiarum, Homerus Iliados, unde ſunt hi Verſus.

Miramur Phidiam, doctum miramur Apellem;
Hippocrates plauſus memores ſibi gignit, & auget;
Juſtinianus opes cumulat, præbetque Togatis;
Virgilium, Senecam, Plautum, laudamus Homerum.

Quartò fit Metonimia, cum Nymphæ ponuntur pro Rebus, quarum ſunt Nymphæ, ſic Nereides

des ponuntur pro mari, Najades pro fontibus, Dryades pro ſylvis, Oreades pro montibus, Orcades pro latebris, & ſpeluncis, quia Nereides ſunt Nymphæ maris, Najades fontium, Dryades ſylvarum, Oreades montium, Orcades latebrarum, & ſpeluncarum; unde ſunt hi Verſus;

Nereïdes placidæ rident, latèque triumphant;
Nec furit æquoreus fluctus, nec murmurat æquor;
Najades intexunt luſus, feſtaſque choreas,
Oreades gaudent, Dryadeſque, atque Orcades omnes.

Quintò fit Metonimia, cum Abſtractum ponitur pro Concreto, ſic ponitur Gula pro Guloſis, Auaritia pro Avaris, Invidia pro Invidis, Miraculum pro rebus miris, Virtus pro Viris habentibus Vir-

tutem, Sapientia pro Sapientibus, Poësis pro Poëtis, Scelus pro Scelestis, Vitium pro Vitiosis; unde sunt hi Versus.

Et Scelus, & Vitium, Venus, & malesana Libido
Occupat excelsas Arces hoc tempore; in imo
Stat Virtus, neglecta jacet Sapientia cultu;
Sordida mendicat victum sibi cordis Honestas.

Sextò fit Metonimia, cum Continens ponitur pro Re contenta, sic Cyathus ponitur pro Vino, Lances pro Dapibus, Fons pro Aqua, Pectus pro Corde, Caput pro Cerebro, Marsupium pro Nummis; legas sequentes versus.

Innumeros Cyathos tibi dulcia prædia præbent,
Attale, Quis poterit Lances numerare frequentes,

Quot-

Quotquot Servorum tibi provida
turba ministrat?
Fœta Penus semper vernat; nec deficit olli
Quod Gula, quod Venter, quod postulat usque Palatum.

Septimò fit Metonimia, cum Locus ponitur pro Locato, sic Cœlum ponitur pro Superis, Orcus pro manibus, Mundus pro mundanis, Roma pro Romanis, Gallia pro Gallis, Germania pro Germanis, Exemplum habes in his Versibus.

Do Cœlo cum corde preces; nec Vota tepescunt,
Seu Cunas habeat Phœbus, cum surgit ab Ortu;
Seu tumulum inveniat, pelagi cum mersus in undis.
Occidit, ut semper felix Germania vivat,
Gallia nec turbet felicia fœdera Pacis.

Octavò fit Metonimia; cum Tempus, Ætas, Sæculum, Annus, Dies ponitur pro Rebus existentibus in Tempore, in Ætate, in Sæculo, in Anno, in Die, ut satis constat ex his Versibus.

Infame est Tempus, quod præterit, improba & Ætas;
Sæcula, quæ venient, longè pejora putamus;
Anno Annus refluet semper vitiosior, atque
Deterior fiet series numerosa Dierum;
Ille fuit felix, prisco qui tempore vixit.

Nonò fit Metonimia, cùm flumina ponuntur pro Regnis, Provinciis, & Urbibus, quâ transeunt, sic Tibris ponitur pro Roma, Vulturnus pro Capua, Sebethus pro Neapoli, Danubius pro Germania, Arnus pro Etruria, Rhenus pro Gal-

Gallia, Iberus pro Hispania, & sic deinceps, ut constat ex his Versibus.

Danubius, Tibris, Rhenus mea
carmina plaudunt;
Sebethus pariter celebrat mea metra; nec Arnus
Conticet argutos Versus, dulcesque
Camœnas;
Eridanus, Ganges, Rhodanusque,
& Sequana Sertum
Laurigerum crini spondent, quod
vernet in Oevum.

Decimò fit Metonimia, cum signa ponuntur pro Rebus signatis, & significatis; sic Circulus ponitur pro Æternitate; Triangulum pro Triade, Columna pro Viro forti, Columba pro Homine simplici, Serpens pro Viro prudenti, aut invido.

Undecimò fit Metonimia, cùm Insignia, & Habitus ponuntur pro

personis habentibus Insignia, & Habitus, sic Toga ponitur pro Causidico, Sagum pro Milite, Sceptrum pro Rege, Triregnum pro Pontifice, Ostrum pro Purpurato, Fasces Consulares pro Consule, Aratrum pro Agricola. De cæteris videas apud Scriptores.

DE METAPHORA.

Metaphora fit quadrupliciter ex doctis, & eruditis Authoribus; nos breviter, & obiter omnia cum Exemplis explicamus.

Primò fit Metaphora, cum Quidquid cõpetit propriè uni Generi Animatorum, attribuitur impropriè, & per quamdam similitudinem alteri Generi Animatorum, sic per Metaphoram dicimus Concionatores Canes, & Leones contra scelera, & scelestos; nam sicuti Canes latrant, & Leones rugiunt ex-

terrendo Spectatores, ita Concionatores verbis veluti tonant exterrendo Auditores; sic etiam per Metaphoram Poëtæ dicuntur Cycni, & Olores Ascræ, seu Permessi, quia sicuti Cycni, & Olores suavissimè concinunt, ita Poëtæ suavissimè repræsentant quidquid cū industria elaborant, & cum Arte elucubrantur in speciosa Musarum Officina.

Secundò fit Metaphora, cum Quidquid competit propriè uni Generi Inanimatorum attribuitur impropriè, & per similitudinem alteri Generi Inanimatorum, sic Stellas dicimus Gemmas scintillantes in Arcibus Firmamēti, & Gemmas dicimus Stellas scintillantes in crinibus Mulierum, aut in pectore Equitum, aut in digitis nobilium Adolescentium; sic Vinum dicimus Lac Senum, & Lac appella-

mus Vinum Puerorum.

Tertiò fit Metaphora, cum Quidquid competit propriè Animatis, attribuitur per similitudinem Inanimatis, ſic dicimus Ventos ſævire, Mare indignari, Tempeſtates inſanire, cum ſævire, indignari, & inſanire ſit proprium Animatorum.

Quartò fit Metaphora, cum Quidquid competit propriè Inanimatis, attribuitur per ſimilitudinem Animatis, ſic eſſe Fulmen, eſſe Sal, eſſe Lux competit propriè Rebus Inanimatis, tamen per ſimilitudinem dicimus, quòd Duces ſtrenui ſint Fulmina bellorum, Viri Sapientes Sal Mundi, Nobiles Lux Univerſi, ut conſtat ex his Verſibus.

Eſt, quicumque orat, calidis Leo ferviàus Iris;
In Scelus, in Vitium rugit, gignitque

que Timorem ;
Et facit, ut vitam formet, moresque Scelestus ;
Est Olor argutus Vates; Cycnosque Poëtas
Credimus, ingeminant Versus, tenerasque Camœnas,
Ut placeant Animo, simul & sua Carmina prosint:
Fulmina Bellorum, rigidi sunt Fulgura Martis
Audaces, fortesque Duces, nil Funera curant,
Sæviat in mediis quamvis Furor Improbus Armis.

DE SYNECDOCHE.

Synecdoche multis etiam Modis fit apud Oratores, & Poëtas; Modos peculiares ordinatim exponemus.

Primò fit Synecdoche, cum Ge-

nus pro Specie, vel Species pro Genere ponitur, ſic Flores ponuntur pro Liliis, & Lilia pro Floribus; Auſter, & Africus pro Ventis, & Venti pro Auſtro, & Africo; Arbor pro Platano, & Abiete, Platanus, & Abies pro Arbore.

Secundò fit Synecdoche, cum Species pro ſpecie ponitur, ſic Platanus pro Abiete, Quercus pro Orno, & Populus pro Ulmo ponitur.

Tertiò fit Synecdoche, cum Numerus pluralis pro ſingulari, & ſigularis pro plurali ponitur, ſic dicimus, Demoſthenes facundi, Platones divini, Antigoni ſacrilegi, Alexandri felices, cum dicere debeamus, Demoſthenes facundus, Plato divinus, Antigonus ſacrilegus, Alexander felix; Sicuti dicimus, Romanus fortis, Iberus pius,

lus ingeniosus, cum dicere debeamus, Romani fortes, Iberi pii, Galli ingeniosi.

Quartò fit Synecdoche, cum Tempus pro tempore ponitur, ut Vicisti, periisti, pro vinces, peribis: dixisse pro dicere, dissolvisse pro dissolvere.

Quintò fit Synecdoche, cum Modus ponitur pro Modo, ut facias hoc, dicas aliquid, scribas Versus, cum dicere debeamus, fac hoc, dic aliquid, scribe Versus.

Sextò fit Synecdoche, cum Pars ponitur pro Toto, vel Totum pro Parte, sic Domus ponitur pro Tecto, Navis pro Puppi, Mundus pro Asia; & è contra Tectum ponitur pro Domo, Puppis pro Navi, Asia pro Mundo.

Septimò fit Synecdoche, cum Materia ponitur pro Opere ex materia, & forma; sic Aurum, Argen-

tum, Chryſtallum, Creta ponitur pro poculo ex Auro, Argento, Chryſtallo, aut Creta, ut conſtat ex his Verſibus.

Africus, & Corus conturbant æquoris undas;
Carbaſa tenſa Notis, quâ vult fortuna, feruntur;
Ad ſcopulos puppes tumidis franguntur ab Euris:
Illacbrymant miſeri Nautæ, lacbrymaſque profundunt,
Nec poſſunt cohibere animo ſuſpiria ab imo:
Ante necem dicas mediis periiſſe ſub Undis.

Cætera leges alibi.

DE ANTONOMASIA.

Antonomaſia dupliciter fit, primò cum Nomen Generis ponitur pro illo, qui eſt primus in eodem Genere, ſic Philoſophus poni-

nitur pro Aristotele primo inter Philosophos. Poëta pro Virgilio primo inter omnes Poetas; Orator pro Tullio primo inter omnes Oratores; Secundò fit, cum proprium Appositum, seu Epithetum personarum ponitur pro ipsis personis, sic Filius Semeles ponitur pro Baccho; filius Alcmenæ pro Hercule; Sol Aquini pro Divo Thoma; Poëta Venusinus pro Horatio Flacco; Decus Bilbilis pro Martiali, ut constat ex his Versibus.

Innumeras laudes Orator poscit ubique;
Nemo illi quoniam toto par extat in Orbe;
Eloquio micuit Sapientior omnibus unus;
Debemus pariter per sæcula cuncta Poëtæ
Egregios plausus, nam vix est doctior illo;

Sive metrum spectes, sive altæ lumina mentis;
Neve Venusinum Vatem contemnere oportet,
Namque modis lyricis floret, vernatque vicissim,
Neve est qui possit sapidas æquare Camœnas.

DE ONOMATOPEA.

Onomatopea idem est ac fictio nominis; fit Onomatopea quotiescumque nova Verba, aut nova Nomina inveniuntur, ut Senescere, pubescere, juvenescere, rugire, murmurare, sibilare, bombardare, carcassare, & sic deinceps, ut constat ex his Versibus.

Pubescunt Vetulæ, juvenescunt sæpius ore
Ore Senes, vernantque genis, & corpore fervent,

Id

Id facit aut ſpeculum fallax, aut nobilis Eſca,
Aut Toga, quæ cultu fulget, faſtuque niteſcit;
Sibilat interea Vulgus, latèque per Urbem
Murmurat, & ſpargit lepidis Dicteria Verbis.

DE CATACHRESI.

CAtachreſis fit cum Quidquid de uno propriè dicitur, dicitur etiam cum quadam improprietate de proximiori, ſic Parricida propriè dicitur de eo, qui Patrem, & impropriè de eo, qui Matrem occidit: Fratricida dicitur propriè de eo, qui fratrem, & impropriè de eo, qui ſororem perimit, enecat, vita privat, & Erebi manibus mancipat.

DE METALEPSI.

Metalepsis fit, cum ex uno gradum facimus ad aliud, & ex alio ad aliud usque ad veram, & propriam significationem Verborum; sic ponimus Messes, Vindemias, & Brumas pro Annis, nam ex Messibus gradum facimus ad Æstates, ex Vindemiis ad Autumnos, ex Brumis ad Hyemes, deinde ex Æstatibus, Autumnis, & Hyemibus ad annos; ut constat ex his Versibus ad Fabianum.

Ter segetes secuit per prædia falce Colonus;
Ter vinum expressit camporum Cultor ab uvis,
Ter glacies hyemalis agros excussit, & arva,
Nec specto, videoque tuas, Fabiane, lituras.
Fac scribas aliquid, minuasque, le-

levesque dolorem,
Quem jam concepi, foveoque in pectoris imo.

De Tropis, qui pluribus Verbis fiunt.

TRopi, qui pluribus Verbis fiunt, &, in pluribus Verbis consistunt, quatuor sunt, nimirùm Allegoria, Hyperbole, Hyperbaton, & Periphrasis, de singulis danda sunt Paradigmata, seu Exempla.

DE ALLEGORIA.

ALlegoria est continuata Metaphora ex Authoribus; fit Allegoria apud Poëtas, cum plura ponuntur in Carmine, itaut unumquodque singillatim ponatur pro alio, ut Navis erat in medio Mari, diversis Ventis agitata, tandem ad sco-

scopulum irreparabiliter fracta est; pro Mari intelligitur Mundus; pro Navi Vita humana; pro Ventis tribulationes, & labores; pro Scopulo Mors, quæ nulli parcit, omnes perdit, atque omnes sine ulla exceptione inexorabiliter interimit; quæ omnia melius exprimuntur in his Versibus.

In Pelago stat parva Rates, quam perdere certant
Audaces nimium geminatis flatibus Euri,
Juratique Noti, Caurique, atque Africus; obstat
Viribus; & tentat luctas superare minaces,
At tandem cedit, scopuloque infixa dehiscit,
Naufragiumque pati mediis spectatur in undis;
Neve juvant Ausus, nec fortia robora prosunt.

De

De Hyperbole.

HYperbole Rem pluribus verbis, vel minuit, vel auget plusquàm credibile eſt; pro Hyperbole, quæ auget, exemplum eſt hoc ad Divitem.

Divitias, quot habes, vidit neve Attalus olim,
Nec Cræſus, nec Roma vetus, nec priſca Corinthus:
Nec ſpectavit Arabs, Maurus, Germanus, & Indus;
Oceani gemmas omnes tua Scrinia claudunt,
Theſauroſque Tagi, Gazaſque nitentis Iberi.
Tantum Auri, nec Terra ſinu, nec continet Æquor.

Pro Hyperbole, quæ minuit, celebre eſt Epigramma illud Martialis ad Lupum de prædio ſibi donato libro XI. Epigrammate XVI.

Do-

Donasti, Lupe, Rus sub Urbe nobis,
Sed Rus est mihi majus in fenestra;
Rus hoc dicere? Rus potes vocare?
In quo Ruta facit nemus Dianæ,
Argutæ tegit Ala quod Cicadæ,
Quod formica die comedit uno,
Clausæ cui folium Rosæ corona est;
In quo non magis invenitur herba
Quam costi folium, piperve crudum,
In quo nec Cucumis jacere rectus,
Nec Serpens habitare tuta possit,
Erucam malè pascit Hortus unam,
Consumpto moritur Culex salicto,
Et Talpa est mihi Fossor, atque Arator,
Non Boletus hiare, non Mariscæ
Ridere, aut Violæ patere possunt;
Fines Mus populatur, & Colono
Tamquam Sus Calydonius timetur;

Et

Et ſublata volantis ungue Procnes
In Nido ſeges eſt hirundinino,
Vix implet Cocleam peracta meſſis,
Et muſtum Nuce condimus picata:
Erraſti, Lupe, litera ſed una,
Nam quo tempore PRÆDIUM dediſti,
Mallem Tu mihi PRANDIUM dediſſes.

De Hyperbato.

HYperbaton dictionem dividit, & inter partes diviſas aliquid interponit, pro Exemplo legas ſequentes Verſus.

Quò Nos cumque vocat Fati Vis provida, eamus,
Zona nimis friget Septem ſubjecta trioni.

Her

Her magnam, tumidamque viam geris, Harpale; namque
Præ me Carminibus clarum facit alta Poësis,
Et parit æternos memori cum Nomine plausus,
Urbs monstrat digito quoties me cumque tuetur.

De Periphrasi.

Periphrasis explicat pluribus, quod posset explicari paucioribus; ex Virtute hujus Tropi Poëtæ faciunt Descriptiones argutas, lepidas, atque ingeniosas; vel Albæ, vel Auroræ, vel Diei, vel Noctis, vel Veris, vel Æstatis, vel Autumni, vel Hyemis ab eorum Adjunctis, Effectibus, & Proprietatibus, pro Exemplo sit hæc Periphrasis de Nocte.

Jam Sol occiderat, mediisque argentea

tea in umbris
Cynthia fulgebat ſtellatis vecta quadrigis
Fundebatque ſuper nocturna papavera Mundum;
Omne Genus Volucrum, pariter Genus omne ferarum
Mortaleſque Omnes dederant ſua lumina Somno;
Nullus erat Terris, Pelago fragor undique nullus,
Nullus erat Domibus, nulluſque per Arua tumultus.

Ovidius libro tertio Triſtium, Elegia XII. deſcribit Ver per plures, & plures Verſus hoc modo.

Frigora jam Zephyri minuunt, annoque peracto,
Longior antiquis viſa Mæotis Hyems;
Impoſitamque ſibi Qui non bene pertulit Hellem,
Tempora nocturnis æqua diurna facit,

Jam

Jam Violas Puerique legunt, hilaresque Puellæ,
Ruraque quæ nullo nata ferente ferunt:
Prataque pubescunt variorum flore colorum,
Indocilique loquax gutture vernat Avis.

Cætera legi possunt ibidem apud eundem: hujusmodi Tropus pulcherrimus est inter totam Troporum familiam ex eo quòd contexat longas & speciosas rerum Imagines non sine Arte, Lepore, & Ingenio scribentis.

De Figuris Grammaticorum.

CAPUT XIV.

FIguræ dicuntur etiam Schemata; non sunt aliud nisi quidam Modi eloquendi remoti ab

Usu

Usu vulgari, & communi: Figuræ aliæ sunt Grammaticorum, aliæ Dimensionis, aliæ Poëticæ, aliæ Oratorum; Nos in hoc capite tractamus de Figuris Grammaticorum tractaturi deinde singillatim de cæteris aliis.

Figuræ Grammaticorum ita dicuntur, quia iis utuntur Gammatici ad salvandam bonam Verborum, & Nominum Syntaxim: hujusmodi Figuræ sunt Enallage, Synthesis, Antiptosis, Eclipsis, Zeugma, Syllepsis, Prolepsis. Hellenismus, Archaismus, Anastrophe, Synchesis, Tmesis, & Parenthesis de singulis danda est sua Notio, quatenus accidunt in Metro.

ENALLAGE.

Enallage fit cum una pars Orationis pro alia ponitur, ſic Verbum ponitur pro Nomine, vel Nomen pro Adverbio, pro Exemplo legas hoſce Verſus.

Vivere Pœna quidem; Miſeri, dum ducimus OEuum,
Innumeras Curas patimur, Spinaſque Laborum;
Horrendum, rigidumque fremit qui vivit, & uſque
Effundit triſtes lachrymas, fletuſque perennes:
Dulce Mori reputo; quoniam Mors omnia ſolvit,
Et Nos Curarum de Carcere liberat, atque
Terminat Ingentes Cordis, Mentiſque Dolores.

SYN-

SYNTHESIS.

Synthesis fit cum Nomen numeri singularis conjungitur cum Verbo Numeri pluralis, quod rectè contingit quotiescumque Nomen significat Collectionem, & multitudinem, ut satis, superque ostendunt sequentes Versus.

Urbs ululant, Plebs tota gemunt, pars syndone tristi
Induta ostendunt pallenti in fronte dolorem,
Pars tamen haud monstrant fletus, sed pectore gaudent,
Exultantque Animis, nec tristia funera curant;
Principis Interitus non displicet Omnibus æquè.

ANTIPTOSIS.

Antiptosis fit cùm Casus pro Casu ponitur, ut videre est ex

hujusmodi Versibus ad Posthumum.

Quas pecudes habeo, referunt fæta
Ubera lacte,
Multiplicant teneros præscripto
tempore partus;
Quos pariunt Agnos, sunt sæpiùs
esca Luporum;
Quos hædos generant, tibi sint; tibi,
Posthume, habeto.

ECLYPSIS.

Eclypsis fit quotiescumque aliquid deest, & foris accipitur ad complendam significationem, & Metrorum Sententiam, ut videre potes in his.

Infremere Æquorei fluctus, furere
undique Venti,
Currere per Cœlum Nubes, atri-
que Vapores,
Eripere ex Oculis lumen, lucem-
que Diei,

Et

Et parere obscuram Noctem, cæcasque tenebras.

Hoc est incipiunt, vel incæperunt, quod Verbum deest, sed foris quæritur, ut Oratio certum sensum comprendat, & adæquatam significationem habeat Metrorum Congeries.

ZEUGMA.

Zeugma fit quotiescumque, quod deest cæteris, ex propinquis accipitur, nullis Attributis mutatis, neque generibus, neque numeris, neque casibus, neque personis; Paradigma habeas in his carminibus.

Sol Lucem, Lux clara Diem Montalibus affert.
Divitias Pallas, dat Pallada Cura, Laborque;
Dat Deus Ingenium, Ingenium

Virtutis Honorem.

Ubi advertas,quòd ſi quid deſit, & accipitur ex principio, dicitur Protozeugma : ſi accipitur ex Medio, dicitur Meſozeugma; ſi ex ultimo,dicitur Hypozeugma ab Authoribus, & eruditis Scriptoribus.

SYLLEPSIS.

SYllepſis ſit quotieſcumque ; quod aliis deeſt, ex propinquis accipitur, mutatis Attributis, vel generis, vel numeri, vel caſus, vel perſonæ, ut Exemplum habes in his Verſibus de tribus fratribus .

Sunt equidem inſignes juncti tres ſanguine Fratres.
Poſthumius Muſis, Cythara Clytus, Attalus auro.
Poſthumius noſtræ ætatis reputatur Apollo,
Sed Clytus Amphion, Cræſus tamen

men Attalus alter.

PROLEPSIS.

Prolepſis fit quotieſcumque, quod commune eſt Toti, dividitur inter ejus partes, pro Exemplo tibi habeas hos Verſus ſubſequentes.

Regna per, & populos tantùm duo Numina regnant,
Triſte ODIUM armatum furiis, & amore CUPIDO,
Invidia eſt Olli comes improba, & improbus Auſus;
Ira, Furor, Rabieſque ferox, Geniuſque nocendi;
Hunc ſequitur Pietas Animi, Favor, Ardor honeſtus,
Vis dandi auxilium felix, & Gratia triplex.

HELLENISMUS.

Hellenismus est Vox græca, apud Latinos idem est ac Græcismus, scilicet Modus quidam loquendi proprius Græcorum contingit Hellenismus quotiescumque Adiectiuum exigens post se Ablatiuum cum præpositione, In, vel sine præpositione, aut exigens Accusatiuum cum præpositione, secundum, construitur cum Accusativo sine ulla præpositione, ut Nigra oculos, nuda pedes, neglecta comas, pallida vultum, hoc est nigra in oculis, nigra oculis, nigra secundum oculos; nuda pedes, hoc est nuda in pedibus, nuda pedibus, nuda secundum pedes, & sic de aliis; quæ omnia meliùs patent ex his Versibus de Phyllide.

Nigra oculos, speciosa genas, benè compta capillos

Phyl-

Phyllis Amatores urit, eosque ferit:
Si quis mæstus adest vultum, deformis amictum,
Despicitur; gelido in pectore friget Amor.
Ipse Ego laurigeris redimitus tempora sertis
Contemnor, quoties Vis mihi languet Opum:
Divitiæ Veneri gratæ sunt tempore in omni;
Pauperiem didicit nulla Puella sequi.

ARCHAISMUS.

Archaismus etiam Vox græca est, significat primum Sermonem, priorem loquendi Modum, seu priscam, faudi formam apud Latinos; Archaismus non est aliud nisi Modus dicendi familia-

ris apud Antiquos, desuetus apud Modernos, ut Abstineo Irarum, pro Abstineo Iris, seu ab Iris: Absente Nobis pro Absentibus Nobis; Ebrietas nocet Omnes pro nocet Omnibus: ex vetustis, & priscis Modis loquendi Quidam sunt in usu, Quidam alii non sunt in usu apud Homines præsentis ætatis, quoniam nova Tempora novos Mores introducunt, ex novis Moribus introductis Scelus est sequi languidas Antiquitatis Idæas, cùm sit ubique locorum inconcussum illud Adagium, alia Tempora, aliæ Curæ: Alii Dies, aliæ Viæ; Alii Homines, alii Mores.

ANASTROPHE.

Anastrophe fit quotiescumque dictiones invertuntur, itaut quæ præcedit ex natura, ponatur

natur poſteriùs, & quæ ſequitur ex natura, collocetur anteriùs, ut Nobiſcum, Vobiſcum, Mecum, Tecum, Quicum pro Cum nobis, Cum vobis, Cum me, Cum te, Cum qui, ſeu quo.

SYNCHESIS.

Synchesis fit quotieſcumque ſenſus confunduntur, vel ex interpunctione, ut Ibis, Redibis non morieris in bello; vel ex concurſu ſimilium caſuum, qui efficiant Amphibologiam, ut Reor Demoſthenem ſuperaſſe Tullium; arbitror Virgilium præiviſſe Lucanum, ut conſtat ex his Verſibus.

Lucanum reputo longè ſuperaſſe
Maronem;
Naſonem credo longè viciſſe Catullum;
Arbitror Hiſpanos longè præcellere
Gallos.

TMESIS.

TMesis, & Hyperbaton idem sunt; Tmesis dicitur à Grammaticis, Hyperbaton ab Oratoribus idem Modus loquendi: fit Tmesis, seu Hyperbaton quotiescumque dictio aliqua dividitur, & postea inter partes divisas aliquid interiicimus, ut constat ex his Versibus.

Quò te cumque vocant Venti, tua Carbasa verte;
Quæ tu cumque facis, semper fecisse juvabit;
Quod vis cumque, tibi concedant Numina ab alto.

PARENTHESIS

PArenthesis fit cum aliquid inter duos Semicirculos interiicitur, neque mutans, neque alterans cęterorum significationem, pro Exemplo sint illi Versus Ovidii libro primo Tristium Elègia secunda.

Dii

Dii Maris, & Terræ (quid enim nisi
Vota supersunt?)
Parcite quassatæ solvere membra
Ratis.

De Figuris Dimensionis.

CAPUT XV.

Figuræ Dimensionis sunt illæ, quæ necessariæ sunt pro Scansione, & Dimensione Metrorum; cum eis Metra facilè dimetiuntur; sine eisdem metra nullo modo metiri possunt, aut scandi. Figuræ Dimensionis septem sunt apud Poëtas, Synæresis, Diæresis, Sistole, Diastole, Synalephe, Ecthlypsis, & Cæsura.

Synęresis duas syllabas contrahit in unam; Diæresis unam syllabam solvit in duas: Sistole syllabam longam abbreviat: Diastole syllabam brevem elongat: Synalephe absorbet vocalem, aut Diphthongum positam in fine dictionis anteceden-

tis, quotiescumque in principio dictionis subsequentis reperitur Vocalis, aut Diphthongus; Ecthlypsis absorbet, *m*, cum vocali antecedenti in fine dictionis praecedentis quotiescumque in principio dictionis subsequentis stat Vocalis, aut Diphthongus; Antiqui illam non absorbebant, sed abbreviabant: Caesura est syllaba, quae remanet veluti caesa ex aliis praecedentibus, & est communis apud Poëtas; de his videas, vel Prosodiam, vel Alvarum, ubi totum hoc reperies diffusiùs, & extensiùs cum suis Exemplis.

De Figuris Poëtarum.

CAPVT XVI.

Figurae Poëtarum propriae eorundem octo sunt, scilicet Prothesis, Aphaeresis, Syncope, Epenthesis, Paragoge Apocope, Antithesis,

thesis, & Metathesis: singulas singillatim brevi verborum Tramite expediamus necessum est, ut nullus sit Flos in amplo Poëseos Viridario, sicuti & Pomario, quem Apicula nostri Ingenioli obiter non lambat, & breviter non attingat.

PROTHESIS.

PRothesis contingit quotiescumque in principio dictionum unam, vel plures literas addimus, ut Gnatus, Gnata, Eripio, Conclamo, Retardo pro Natus, Nata, Rapio, Clamo, Tardo.

APHÆRESIS.

APhæresis Prothesi opponitur, & contingit quotiescumque è principio Dictionum unam, vel plures literas detrahimus, ut Temno

no pro Contemno; Pugno pro Repugno; Sto pro Inſto; Rapio pro Eripio.

SYNCOPE.

Syncope contingit quotieſcumque de medio dictionum unam, vel plures literas auſerimus, ut amaras pro amaveras, dixti pro dixiſti, audibam pro audiebam.

EPENTHESIS.

Epentheſis Syncopæ opponitur, & contingit quotieſcumque n medio dictionum unam, vel plures literas adiungimus, ut Navita pro Nauta, Virago pro Virgo, Mavors pro Mars, Relliquiæ pro eliqu iæ, Relligio pro Religio.

PARAGOGE.

PAragoge contingit quotiescumque in fine dictionum aliquid addimus, ut Scribier pro Scribi, Dicier pro Dici, Hisce pro His, Suapte pro Sua.

APOCOPE.

APocope opponitur Paragogæ; & contingit quotiescumque è fine Dictionum aliquid detrahimus, ut Virgilj pro Virgilii, Horatj pro Horatii, Imperj pro Imperii, Ingenj pro Ingenii.

ANTITHESIS.

ANtithesis contingit quotiescumque literæ mutantur in Dictionibus, ut Olli pro Illi, Orion pro Urion.

METATHESIS.

Metathesis Antithesi opponitur, & contingit quotiescumque literæ non mutantur, sed translocantur in Dictionibus, ut Leandre pro Leander; Timbre pro Timber; Evandre pro Evander.

Hujusmodi Figuræ, vel faciunt ad ornamentum metrorum, vel ad salvandam mensuram pedum in iisdem, vel ad imitandam antiquitatem, vel ad exercendam libertatem Poëticam, cui licent ea, quæ Oratoriæ,& Lapidariæ minimè permittuntur.

De Figuris Oratorum.

CAPUT XVII.

Figuræ Oratorum communes sunt, & Poëtis simul, & Oratori-

toribus: ſunt in duplici Genere; Aliæ dicuntur Verborum, aut per ſimilitudinem, aut per Additionem, aut per Detractionem; Aliæ dicuntur Sententiarum, ſive exprimant Idæas Mentis, ſive repræſentent affectiones Cordis, ſive manifeſtent inclinationes Voluntatis in humano, & admirabili Microcoſmo: Nos de Utriſque agemus in ſecundo Opuſculo, cùm maximè pertineant ad Ornamentum, & Pulchritudinem Compoſitionum ex Metro, ibique addemus Exemplaria Anteceſſorum Poëtarum ad majorem Intelligentiam, & Tyronum Capacitatem; de hujuſmodi Figuris ſi benè, & ex profeſſo tractare vellem, de eis dumtaxat ſpecioſus Codex enaſci poſſet, tanta eſt copioſa farrago Exemplorum apud omnes Poëtas, & Artis Poeticæ Profeſſores.

De

CAPUT XVIII.

DE hisce etiam in secundo Opusculo agendum est, quoniam important longam Congeriem Metrorum pro Exemplis, & Exemplaribus; Præcepta enim sine Exemplis juvant quidem Tyronibus, sed magis prosunt cum felici Praxi Prototyporum, & erudita Paradigmatum Ostensione.

De Patronimicis.

CAPUT XIX.

POëtæ frequenter utuntur Patronimicis in suis Operibus, uti videre potes apud Ovidium in libris Metamorphoseon, & in libris Epistolarum Heroidum; apud Virgilium Maronem in sua Æneide,

nec

nec non apud alios Poëtas tùm Recentiores, tùm Antiquiores; Quamobrem in hoc Capite agendum est de Patronimicis non exigentibus pro Exemplaribus nisi Imagines eorundem Nominum.

Patronimica ita dicuntur, quia à Patribus originem trahunt; sunt Nomina quædam à majoribus deducta, & Posteros significantia: nomine Majorum veniunt omnes ascendentes utriusque sexus in quocumque gradu usque in infinitum; nomine Posterorum veniunt omnes descendentes utriusque sexus in quocumque gradu usque in infinitum; in primo gradu Majorum sunt Pater, & Mater: in primo gradu Posterorum sunt filius, & filia; in secundo gradu Majorum sunt Avus, & Avia; in secundo gradu Posterorum sunt Nepos, & Neptis; in tertio gradu Majorum

ſunt Proavus, & Proavia; in tertio gradu Poſterorum ſunt Pronepos, & Proneptis; in quarto gradu Majorum ſunt Adavus, & Adavia; in quarto gradu Poſterorum ſunt Adnepos, & Adneptis; Cæteros gradus videas apud Juriſtas.

Nomina Patronimica derivantur primo ex Majoribus, ſive maſculis, ſive fœminis, ſic Achilles dicitur Pelides à patre Peleo; ſic Pyrrhus Epirotarum Rex dicitur Æacides à patre Æaco; ſic Hector, aut Paris dicitur Priamides à Patre Priamo; Romulus dicitur Iliades à Matre Ilia; Chiron dicitur Philyrides à Matre Philyra, Diana dicitur Latois à Matre Latona.

Nomina Patronimica derivantur ſecundò à Fratribus, ſic Sorores Phaëtontis dicuntur Phaëtontiades à fratre Phaëtonte; ſic Sorores Phoronis dicuntur Phoronides

à fra-

à fratre Phorone.

Nomina Patronimica derivantur tertiò à Regibus, & Urbium Fundatoribus, ſic Romani dicuntur Romulidæ à Romulo Romæ Fundatore, vel Rege; ſic Trojani dicuntur Dardanidæ à Dardano Trojæ Fundatore, vel Rege; ſic Athenienſes dicuntur Cecropidæ à Cecrope Athenarum, vel Fundatore, vel Rege.

Nomina Patronimica derivantur quartò à Regionibus, Urbibus, Montibus, Fontibus, Fluviis, atque aliis Rebus ſimilibus. Sic Aſiatici dicuntur Aſides ab Aſia; ſic Itali dicuntur Italides ab Italia; ſic Lybici dicuntur Lybiſtides à Lybia; ſic Auſonii dicuntur Auſonides ab Auſonia; ſic Sarmatæ dicuntur Sarmatides à Sarmatia; ſic Theſſali dicuntur Theſſalides à Theſſalia; ſic Sidonii dicuntur Sidonides à

Sidonia; ſic Muſæ dicuntur Caſtalides a fonte Caſtalio, à quo epoto attrahunt Oeſtrum Poëticum, & Poëticum Furorem cantandi; ſic eædem Muſæ dicuntur Parnaſſides, Permeſſides, Pierides, Aonides a Monte Parnaſſo, Permeſſo, Pierio, & Aonio, ubi habitant, ſic etiam eædem Muſæ dicuntur Sicelides a Sicilia, ubi maximè exercitabantur.

Nomina Patronimica in duplici genere ſunt; alia dicuntur Maſculina, alia dicuntur Fœminina; Nomina maſculina deſinunt in *Des*, ut Priamides filius Priami; Æolides filius Æoli; Æacides filius Æaci, Laconides filius Laconiæ; Amphitrioniades filius Amphitrionis; Nomina fœminina deſinunt, vel in *As*, vel in *Is*, vel in *Ne*; ut Theſtias Althæa filia Theſtii; Thaumantias Iris filia Thaumantis; Æolis Hyper-

permnestra filia Æoli ; Atlantis Electra filia Atlantis, Nerine Galatea filia Nerei ; Neptunine filia Neptuni, Arastine filia Arasti, Acrisionine filia Acrisionis. Nomina in *Des* pertinent ad primam declinationem Græcorum, & ad primam Latinorum ; Nomina in *As*, & *Is* pertinent ad quinctam declinationem Græcorum, & ad tertiam Latinorum ; Nomina patronimica in *Ne* pertinent ad secundam declinationem Græcorum, & ad primam Latinorum, ut volunt Græcæ, & Latinæ linguæ Professores.

Advertendum est primò pro formandis patronimicis quòd Nomina finita in *A* recipiunt *Des* ad formandum Patronimicum, ut Ilia Iliades, Asia Asiades, quandoque mutant *A* in *I*, ut Philyra Philyrides, non Philyrades.

Advertendum est secundò quòd no-

nomina finita in *As* recipiunt *De* inter *A*, & *S* ad formanda patronimica, ut Æneas Æneades; Quandoque mutant *A* in *I*, ut Æneides Julius filius Æneæ.

Advertendum est tertiò quòd Nomina in *Es* mutant *Es in Ades* ad formanda Patronimica,ut Hyppotes Hippotades, Æolus Hippotæ filius; Anchises tamen, & Laertes recipiunt *I* ante *A*, ut Anchisiades, Æneas filius Anchisæ; Laertiades Ulysses filius Laertis.

Advertendum est quartò quòd Nomina in *Vs* ad formanda Patronimica recipiunt *Des* post genitiuum singularem, ut Æacus Æaci, Æacides filius Æaci: Priamus Priami, Priamides filius Priami; Tantalus, Tantali, Tantalides, filius Tantali; Quandoque ante *Des* recipiunt *A*, ut Battus, Batti, Battiades; Æsopus, Æsopi, Æsopiades.

Ad-

Advertendum eſt quinctò quòd Patronimica in *Des* quandoque habent penultimam brevem, ut Priamides, Æacides; quandoque habent penultimam longam, ut Belìdes; Lycurgìdes, Amphiaraìdes.

Advertendum ſextò quòd Nomina finita in *Us* formant patronimicum in *Adeś* à genitivo ſingulari, deſinente in *I*, & mutato *I* in *A*, addito *Des* poſt *A*, ut Menatius, Menatii, Menatiades; Nauplius, Nauplii, Naupliades.

Advertemdum eſt ſeptimò quòd nomina finita in *Eus* formant patronimicum à genitivo ſingulari in *Ei*, ablato *E*, & addito *Des*, ut Peleus, Pelei, Pelides; Alceus, Alcei, Alcides.

Advertendum eſt octavò quòd Nomina tertiæ Declinationis formant Patronimica à dàtivo ſingulari, addito *Des*, ut Agenor, Age-

N noris,

noris, Agenori, Agenorides filius Agenoris; Teſtor, Teſtoris, Teſtori, Teſtorides, filius Teſtoris; Actor, Actoris, Actori, Actorides, filius Actoris, vel Patrochus nepos Actoris; Æſon, Æſonis, Æſoni, Æſonides, filius Æſonis, uti fuit Jaſon ex eruditis Scriptoribus.

Advertendum eſt nonò quòd nomina finita in *As* cum genitivo in *Antis* formant patronimica à dativo ſingulari, addito *Ades*, ut Atlas, Atlantis, Atlanti, Atlantiades filius Atlantis; Athamas, Athamantis, Athamanti, Athamantiades, filius Athamantis. Phaëton, Phaëtontis, Phaëtonti, Phaëtontiades filius, aut frater Phaëtontis.

Advertendum eſt decimò quòd nomina finita in *On* etiam formant patronimica à Dativo ſingulari, addito *Ades*, ut Telamon, Telamonis, Telamoni, Telamoniades filius

Te-

Telamonis: Laomedon, Laomedontis, Laomedonti, Laomedontiades filius Laomedontis; Scipion facit Scipiades; & non Scipioniades.

Advertendum est undecimò quòd omnia Patronimica masculina finita in *Des* formant Patronimica fœminina in *As*, vel *Is*, ablato *De*, ut Æatiades, Æatias. Thestiades, Thestias; Thaumantiades, Thaumantias; Æolides, Æolis; Tantalides, Tantalis; Latoides, Latois; Dardanides, Dardanis; Belides, Belis; Cecropides Cecropis; Æneides, Æneis.

Advertendum est duodecimò quòd quædam patronimica fœmina desinunt in *As*, & in *Is*, ut Atlantias, & Atlantis; Pelias, & Pelis. Hæc, & similia Patronimica addiscuntur usu, Praxi, & observatione eorum, quæ reperiuntur apud Antiquos Authores, & Poëtas; interim legas hos Versus.

Æsonidem stupeo, qui plurima digna
triumphis
Gessit, & egregiis famam sibi plausi-
bus auxit.
Æacidem pariter miror, qui clarus
in Armis
Edomuit tumidos Hostes, & Nomen
adeptus
Immortale, nequit Lethæis mergier
undis;
Scipiadas fortes bello, duo fulmina
Martis,
Quis laudare satis poterit? quis di-
dicero Musis?
Linquo Laertiadem; quem semper
Græcia plausit,
Consilio, Ingenio, Gladioque, Armis-
que potentem.
Priamidem celebrem fecit sat Musa
Maronis,
Atque Anchisiadem, Turnum qui
misit ad Orcum,
Et Nomen, laudesque suas super
ætheris Arces
Ex-

Extulit; Orbis adhuc celebrat Virtutis Honores.

De Verbis Novis, Insusitatis Æquivocis, & Græcolatinis.

CAPUT. XX.

IN Metro evitanda sunt, quantum fieri potest, Verba Nova, Verba Inusitata; Verba Æquivoca, & Verba Græcolatina: Ratio est quia Verba Nova non sunt in communi omnium usu; Verba Inusitata fuerunt, sed nunc non sunt amplius accepta, quia absoleta; Verba Æquivoca torquent Legentium Ingenium propter ambiguitatem significationis; Verba denique Græcolatina non sunt purè latina, sed veluti barbara, proinde arcenda ex metro Romano, & Latiali, de quo sermonem facimus, & Artem Poë-

ticam edocemus; Quandoque tamen licet Poëtis ex libertate, quam præſeferunt, aliqua Verba, vel Nova, vel Inuſitata, vel Æquivoca, vel Græcolatina adhibere in Carminibus ad oſtendendum Ingenium, Imitandam Antiquitatem, ad illudendum, aut ad Removendum dicendi Modum à vulgari, & communi Locutione ſui temporis, ſuæque ætatis; Legas priſcos, & novos Scriptores, quòd in eis omnia invenies, ſed rarò; omnia reperies, ſed cum parſimonia; omnia obſervabis, ſed cum grano ſalis.

De

De Phrasibus Poëticis

CAPUT XXI.

PHrases sunt Quidam Modi loquendi, atque exprimendi suos Conceptus, & Mentis Idæas Legentibus, aut Audientibus cum Vivacitate, Argutia, Arte, Cultu, & Claritate remoti à communi, atque vulgari usu dicendi.

Phrases sunt in duplici specie; aliæ dicuntur Oratoriæ, aliæ dicuntur Poëticæ: Phrases Oratoriæ sunt propriæ Oratorum: Phrases Poëticæ sunt propriæ Poëtarum: Indecorum tamen est in Arte Oratoria, uti Phrasibus Poëticis, aut in Arte Poëtica uti Phrasibus Oratoriis, sicuti Absurdum est Mulieres uti Indumentis Virorum, & Viros uti Indumentis Mulierum: Excitat Risum Spectatoribus Alcides cum Co-

lo,

lo, aut fuſò, & Jole cum Clava, aut pharetra, & ſagittis.

Phraſes Poëticæ non debent eſſe eædem in Omnibus Compoſitionibus ex Metro; nam in Poëmate debent colligi ex Virgilio; in Odis debent colligi ex Horatio; in Elegiis debent colligi ex Ovidio; in Epigrammate debent colligi ex Martiali; in Tragædiis debent colligi ex Seneca; in Comædiis debent colligi ex Plauto; in Satyris debent colligi ex Perſio, aut Juvenale; Non Omnis Modus dicendi aptus eſt pro omni Opere Poëtico; nec omnia Verba benè exprimunt omnes Res dicendas in omni partu, qui ex Mente Poëtarum enaſcitur, & emanat.

Primò Phraſes debent eſſe latinæ; ſecundò floridæ; tertiò expolitæ; quartò argutæ; quintò vivaces; ſextò tropologicæ; ſeptimò figuris Verborum ornatæ; octavò figuris

Sen-

Sententiarum illustratæ; nonò Eruditionibus aspersæ, & conditæ nectareis Gratiarum Modulationibus, itaut nihil habeant rude, nihil incultum, nihil superfluum, nihil perperàm positum, & nihil, quod displiceat Eruditis Sapientum auribus; quod totum habebimus, si Authores primi Ordinis tanquam proprios Fontes cum omni Diligentia, Cura, & Attentione observabimus.

De Epithetis, & Synonimis

CAPUT XXII,

ET ULTIMUM.

EPitheta dant Ornamentum, Spiritum, & Calorem Metro, præcipuè si sint consantanea Rebus, quibus applicantur; quoniam magis exprimunt earundem Naturam,

ram, & natúrales Proprietates. Synonima pariformiter necessária sunt & ad Suppellectilem Artis Poëticæ locupletandam,& ad pleniorem explicationem eorum , quæ exponimus; non Opus est de iisdem fusiùs tractare, cùm obvia sint erudita earundem Volumina apud Bibliopolas, & Bibliothecas nostræ Urbis; Hoc tamen adverto : legito Poëtas egregios, eximios,& primi Nóminis, diligenter examinando, speculando, notándo, & transcribendo ea, quæ laúdabiliter ad Nos transmiserunt; nam ex alienis Exemplaribus eruditur quàm maximè, & imbuitur ad miraculum nóstra Mens; per Oculos rerum omnium Duces, & primas Speculas intrant Phantasmata in Sensum communem, ex Sensu communi in Imaginativam, & ex Imaginativa in Officinam Intellectus, atque Intelligentiæ; Nihil

enim

enim eſt in Mente, niſi præfuerit in Senſu, & in Potentiis ſenſitivis ex Ariſtotele omnium Philoſophorum Primate, ac Principe; Qualia ſunt Prototypa, talia ſolent eſſe ea, quæ deinde ex Utero noſtri ingenii emanant ~~; fugito eos~~ Authores, qui vel Laſciviam, vel Satyram, vel craſſam Minervam oſtendunt in ſuis Operibus; nam hæc Omnia inficiunt & Vitæ Honeſtatem, & dehoneſtant Literarum Facultatem; Interim Vivito, ut ſecundum Opuſculum de Compoſitionibus ex Metro cum plauſu conſpicias, & excipias.

F I N I S.

